

Q-5559

OPERA
IOAN. GOROPHII
BECANI,

Hactenus in lucem non edita:


scilicet.

HERMATHENA, GALLICA,
HIEROGLYPHICA, FRANCICA,
VERTVMNVS, HISPANICA.



ANTWERPIÆ,
Excudebat Christophorus Plantinus,
Architypographus Regius.

CL. IO. LXXX.



2 400 40
Gallea
MADE IN SPAIN


Q-5559

OPERA
IOAN. GOROPHII
BECANI,

Hactenus in lucem non edita:

nempe,

HERMATHENA, GALLICA,
HIEROGLYPHICA, FRANCICA,
VERTVMNVS, HISPANICA.



ANTWERPIÆ,
Excudebat Christophorus Plantinus,
Architypographus Regius.

CL. IO. LXXX.



VERTVMNVS

IOANNIS GOROPH

BECANI.



ANTVERPIÆ,

Ex officina Christophori Plantini
Architypographi Regij.

cl̄o. Is̄. LXXX.

87 W. M. V. 11
1706

FAMILIÆ FLEMINGORVM
INSIGNIA.



NOBILITATE
ET ERVDITIONE ORNA-
TISSIMO VIRO ARNOLDO FLEMINGO
WINEGHEMI DOMINO,

Christophorus Plantinus S. D.



VM MIHI VERTVMNVS inter cetera opera à doctiss. viro Ioanne Goropio Becano conscriptus, iam pridem vt meis typis excuderetur, traditus esset: facile ex eo collegi auctorem id vnicè studuisse, vt hoc opus tamquam certum sui erga fratrem tuum Ioannem Flemingum, & te amoris beneuolentiæque singularis monumentum posteris relinqueret: non autem solum vt ipsius fratris tui doctrina, ingeniique rara virtus ac familiaris consuetudo cum vtroque vestrum habita innotesceret, verum etiam vt quàm amplis, insignibus ac opulentis agrorum possessionibus & latifundiis sit celebris vestra familia (idque paucis ab vrbe Antvverpia lapidibus, in pago Wineghem, cuius quidem vos Domini estis) non obscure significaretur: quippe cum nullum eo amœniorem, nullum magis magnificum ac heroicum locum vicinas Antvverpiæ ditiones habere existimem: ita vt mirum videri minimè debeat, si Goropius suum Vertumnum à tam raro ac beato vestri prætorij pomario auspiciari voluit: certè omnium iudicio id meritò fecisse putatur. Quæ res me mouit, vt onus huius libri imprimendi eo lubentius susceperim, quo doctorum virorum memoria & fama ex otio litterato comparata,

deinceps passim toto orbe celebraretur. Neque verò, hoc exemplo prouocatus, committes, vt diutius penes te quasi neglecta lateant reliqua tui fratris scripta, Elegiæ, & Epigrammata, lucisque vsura frustrentur: sed vt singula potius in ordinem redigantur, & typographo cuiquam immortalitati consecranda commendentur, maximoperè cuperem. nihil enim tuæ familiaris præclarius euenire poterit, quàm vt fratris tui virtus, ingeniique præstantia, atque eruditio apud posteros clara æternaque permaneat. Vale.

INDEX

INDEX RERVM
ET VERBORVM
IN
VERTVM NV M.

A	<i>Artemisia quare vocata sit herba sancti Iohannis: & eius varia facultates.</i> 47	<i>Belge Gallorum populi unde dicti.</i> 99
<i>Motum ad vltiora signat.</i> 38	<i>As sue Aes.</i> 38	<i>Bellona unde dicta.</i> 99
<i>ἀνωλος.</i> 81	<i>Atalanta.</i> 69	<i>Bellum.</i> 99
<i>Aegeria.</i> 182	<i>Atys.</i> 107	<i>Ber.</i> 59
<i>Aes.</i> 61, 64	<i>Au.</i> 25	<i>Betalen.</i> 46
<i>Aestas unde dicta.</i> 60	<i>Audom.</i> 57	<i>Boet.</i> 108
<i>Aestatis nomine ver comprehendit Virgilius.</i> 60	<i>Auellana nuces.</i> 101	<i>St-boet.</i> 47
<i>Aestates pro annis posuerunt veteres, idq. multis rationibus.</i> 61	<i>Auentinus mons.</i> 111	<i>Bombyx alata.</i> 106
<i>Aestuo, as, are.</i> 60	<i>Auium captura.</i> 108	<i>Bombycina vestes.</i> 105, & sequent.
<i>Aestus unde dictus, & quid proprie significet.</i> 59	<i>Aurancia mala.</i> 79	<i>Bont.</i> 99
<i>ἀνωλος.</i> 81	<i>Aurea mala.</i> 67, & seq.	<i>Boom.</i> 81
<i>Al.</i> 53, 98, 103	<i>Aurelius.</i> 30	<i>Boom-gart.</i> 81
<i>Albula fl.</i> 53	<i>Aurigarum factiones.</i> 108	<i>Bou.</i> 49
<i>Allegoria, & Ianigenarum fabula vetustissima, diligenter sunt examinanda, & ad veritatem referenda.</i> 100	<i>Auris.</i> 44	<i>Brabyla pruna.</i> 62, 63
<i>Amor Dei in animis lethali vulnere saucius id præstat quod thūs in corporis ulceribus vulneribusque.</i> 34	<i>Aurem vellere.</i> 45	<i>Bum.</i> 54
<i>Amota.</i> 101	<i>Auriculam apprehendere.</i> 45	<i>Buet.</i> 82
<i>Amphippi.</i> 109	<i>Auson.</i> 25	<i>Bullio.</i> 46
<i>Angeli, Dei ministri, præfecti sunt singulis regnis, ciuitatibus, &c.</i> 88	<i>Ausonia.</i> 25, 93	C.
<i>Annius Propertij & Tibulli interpres reprehenditur.</i> 38, 42, 44, 47, 48, 50, 57, & seq.	<i>Autom.</i> 57	<i>Ca.</i> 94
<i>Annus in duas partes diuisus à priscis.</i> 61	<i>Autumnus aestatis pars.</i> 61	<i>Cacus.</i> 94
<i>ἄψελ.</i> 75	<i>Autumnus hominis senio optimè comparatur.</i> 57	<i>Calius mons.</i> 112
<i>Apollo.</i> 107	<i>Autumnus unde dictus.</i> 57	<i>Cai.</i> 31
<i>Ar.</i> 82	B.	<i>Caiæ.</i> 28, 29
<i>Arbor vita.</i> 80	<i>Bacchus.</i> 107, 108	<i>Caieta.</i> 31
<i>Arbutus.</i> 82	<i>Baculus pastorum, pedū.</i> 109	<i>Cains.</i> 28, 29
	<i>Baer.</i> 59	<i>Capo.</i> 31
	<i>Baie.</i> 31	<i>Car.</i> 102, 107
	<i>Baien.</i> 31	<i>Carmani.</i> 112
	<i>Balanus.</i> 82	<i>Carmenta.</i> 95
	<i>Balg.</i> 99	<i>Caru.</i> 102
	<i>Basilica nuces.</i> 101, 102	<i>Caryon nux regia</i> 102, & sequent.
	<i>Battarus fagus.</i> 84	<i>Castana, siue Castaneæ nuces.</i> 101, & seq.
	<i>Baum.</i> 81	<i>Cedrelate.</i> 78
	<i>Baw.</i> 81	<i>Cedron.</i> 77
	<i>Bec.</i> 90	<i>Cedrum.</i> 78
	<i>Been.</i> 80	<i>Cedrus.</i> 77
	<i>Behal.</i> 110	<i>Cerasum, Cerasi fructus.</i> 63
	<i>Beien.</i> 111	<i>Cerasus arbor.</i> 63
	<i>Bel.</i> 99	<i>Cerasus signū Veris, primum arboreum factū post hymē mortalibus ostēdit.</i> 64
	<i>Belg.</i> 99	† 3 Cera-

INDEX RERVM ET VERBORVM

Cerasurum epitheton. 64	Comber. 25	pli, cupit honores. 43
Cereæ & Cereola pruna. 63	Comer filius maximus natu	Deus omnia fit omnibus. 43
Ceres dea. 105	Iapeti. 25. in Italiam	Deus vnus & solus ciuita-
Chamus siue Chameses, ne-	venit. 31	tum & regnorum custos
farius filius Nochi, idolo-	Comerij. 25, 27	atque protector hostes pro-
mania auct. 37. Iupiter	Corbis. 107	stigans & c. 98, & seq.
Hammō vocari voluit. 37	Cosf. ibid.	Dei nullum nomen est pro-
Xeo. 78	Corona vnde dicta. ibid.	prius, sed ei homines no-
Chiet. 78	Corona pomosa Vortoni. 65	mina fingunt. 89
Chitran siue Chetrā. 78	Corporis. refectio. 85, & seq.	Dij varij apud insanos homi-
Christiana religio ad Italos	Corylus. 101	nes vnde orti. 107
exteros translata, & pri-	Cotoneum malum vnde di-	Diens siue Dijen. 40, 74
maria eius sedes in Italia	ctum. 73, & seq. 75	Dius. 97
collocata. 93	Cotoneum, Cydonium, Stru-	Dius Fidius. ibid.
Christus Dius fidius & Sa-	thion, idem malum. 75	Dius Fidius, Christus. 99
bus. 99	Cotoneorum triplex discrimen. 70, & seq. 75, & sequent.	Dius Fidius, Sabus. ibid.
Chrymela. 69	Cotonea tele. 105	Dius Fidius Quirini siue Enyalij filius. 97, 99
Chrysomela. 69	Cou. 87	Donum Dei, corporis & animi integritas. 85, & sequent.
Cibus & potus quibus rationibus sumi debeant. 85	Cuculi mala. 62	Donum omne perfectum à Deo perfecto proficiscitur. 86
Cimber, Iapeti filius. 25	Cumæ. 31	Druides vnde dicti. 84
Cimbri. 25	Cumber. 25	Dryades quercuum numina. 88
Cimbri coacti habitare cum exteris, non agros tantum amiserunt, sed etiam linguam suam antiquissimam corruperunt, & c. 89, 90, 91	Cur. 96	δρῶς. 87
Cimbrica lingue admiranda proprietates in vocibus ichnaeis. 27	Cur-rutgers. ibid.	Duodecimi numeri apud Cimbras symboli a significatione. 113
Cimbricarum vocum radices prima vna dumtaxat syllaba constant. 27	Curruſt. ibid.	Duodenarius numerus additus Romano imperio. 51
Cimmer. 25	Curus. ibid.	
Cimmerij in Italia à Comero collocantur primum. 31	Curtius lacus. 54	E.
Circe. ibid.	Cut/Cutte. 71, 73	Æ. 71, 114
Circei. ibid.	Cydonium malum siue Cotoneum. 75	Æt. 81
Citrium malum. 66, & seq. 77, & sequent.	Cydonium malum vnde dictum. 71, 72, & sequent. 75, & sequent.	Æthel. 81
Citron vnde dicatur. 78	Cydonium malum coniugij symbolum, à ficu Indica maximè differt. 76	Æl. ibid.
Coa vestes. 105, & seq.	Cydonia mala aureo colore insignia, aurea, & Hesperidum mala sunt. 68, 69, & sequent.	Ældom. 57
Coccomala. 66	Cydonia mala Veneri sacra. 68, & seq. 70, & seq. 73, & seq. 76, & seq.	Æn. 89, 98
Coccygis malum. 62	Cydoniorum malorum lanugo tenera quid significet. 77	Æer. 75, 78
Coccygmalum. 62, & seq. 66, & seq. 71		Egeria Nympha. 113
Codymalum. 71, 75	D.	Æit. 81
Coel. 112	Damascena pruna. 63	Ænt. 98, 104
Coi. 94	De articulus. 32	Eny. 111
Com. 82	Delli crateres. 46	Enyalius Deus. 97, 98, & sequent.
Comarus. ibid.	Desultores. 108	Enyo Dea. 97, 98, & seq.
Comari siue Arbuti fructus. 81, 82	Deus ne pretiosissimi quidem fani, nedū vulgaris tem-	Ephesia Artemisia. 47
		Episcopus. 36
		Euander Christum & No-
		chum designat. 94
		Euander vnde dictus. 93, 94
		Faem.

IN VERTVM NVM.

Faem. 104	Gains. 27, 28	Hoe. 107
Fagus Latinorum, Phagus Gracorum non est. 83, & seq.	Galata. 27, 29	Hoien. ibid.
Fagus Latinorum, perinde atque Phagus Gracorum Ioni consecrata. 83	Galli vnde dicti. 27, 29	Hoet. 31
Fagutalis Iupiter. 84	Galli in Phrygiam missi coloni à Cimmericis, transmigrarunt in varias sedes. 30	Hoon. 78
Fama vnde dicta, & quid significet. 104	Gallorum mores. 29	Hoor. 105
Fama descriptio. ibid.	Gaudeo, es, ere. 27	Hot. 98
Fatum vnde dictum. 44	Gef. 85, & seq.	Hu. 98, 103
Faunus vnde dictus. 108	Gehul. 49	Huet. 56
Faunus aucupio praesidet. ibid.	Gemael/Gemajel. 76	Hul. 32, 36, 57, 79
Faunus Latini pater. ibid.	Ger. 114	Hul. 110
Feg. 85, & seq.	Gertroudis. 47, & seq.	Hult. 50
Feger. 85	Ghelat. 29	Humilitas primus gradus ad felicitatem. 34
Fel. 75	Giet. 78	Hut. 102
Fen. 107	Glans, glandis. 81	Hp. 98
Fer. 50	Glandes inter poma censentur. 82	Hyems vnde dicta. 57
Ficus vnde dicatur. 76	Gomer. 25	Hyemis natura & proprietates. 57, 60
Ficus Indica, vetitum fuit pomum, quod primi nostri parentes comederunt. 76	Got. 107	Hymen vnde dicatur. 103
Ficus Romula & Rumina. 54, 56	Græca lingua à Lydis in Italiam non est inuecta. 38	I.
Ficus tessera abundantia latis, & c. 56	Gramen vnde dictum. 107	Ia. 27
Fidius. 97, 99	Gras. ibid.	Iag. 28, 107
Fiscennina carmina. 101, 103		Ianus. 27, 36
Flasconus mons. 48	H.	Ianus Lydus dictus. 40
Flumina quid praestent. 52	Haest. 60	Ianus Thuscæ gentis auctor, merito primus potuit vocari Thuscus. 36
Fœnum vnde dictum. 107	Hammon. 37	Iani nomen ad diuum Ioannem translatum. 47, & seq.
Forma. 76	Hans. Hansus. 48	Iani Flemingi Epigrammata. 3
Formaet. 76, 108	Hap. 75	Ianiculum. 32, 36
Fortuna vnde dicta. 44	Har. 107	Ianigenarum regio & lingua. 89, 91
From. 50	Hau. 111	Iap. 22, 75
Fumus praecipuum symbolum in sacris. 33	Haut. 80	Iapetus siue Iaphet Nochi filius, pater Comeri, 25 ad Hesperia laciniam appellit, 31. Thuscam gentem condit. 32
Fur. 108	Hebenum. ibid.	Iaphet siue Iapetus vnde dictus. ibid.
Füg. 76	Heim. 57	Iapygia. 31
Fy-gyp. ibid.	Hem. 105	Ichnae voces. 27
	Hes. 56	Ilex vnde dicatur. 81
	Hesperia. 25	Ilicis glans. ibid.
	Hesperidum mala. 66, & seq. 69, & seq.	Ilicis varia genera. ibid.
	Het. i. caput. 31	Ioannes, Ianus. 47
	Het articulus Cimbricus. 40	Ioannes Baptista quare dicitur itineribus patrociniari. ibid.
	Hetruria vnde dicta. ibid.	Iouis glans. 101, & seq.
	Hetrusci. ibid.	Italia. 90, & seq.
	Hippomanes. 69	† 4 Italia

INDEX RERVM ET VERBORVM

Table with three columns: Latin term, page number, and Latin term, page number. Includes entries for Italia, Italia Saturnia dicta, Iuga Iuno, Iuga Venus, etc.

IN VERVMNM.

Table with three columns: Latin term, page number, and Latin term, page number. Includes entries for Oenotria, Oenotrij, Olymptus templum Dei, etc.

INDEX RERVM ET VERBORVM

Sarpedon, perrica laesus, sub fago Ionis collocatur à so- cius, &c. 84	Sus symbolica, & utilissi- ma, in maximum Idolo- rum Oceanum versa. 56	Thus thuris vnde dictum. 33, 36
Sat. 38, 61	Struthium, herba Lanaria, sive Herba fullonum di- citur duplici ratione. 74	Thus caritatis & amoris symbolum. 34
Satis. 61	Struthium obscena pars vi- rilis. 74	Thus diuinitatis symbolum. 33
Satur. 61	Struthia mala. 74	Thus integrum, non confra- ctum, igni iniiciendum, & Deo offerendum. 34
Saturnia. 37, 93	Summa. 62	Thus sacrificiis diuino con- silio adhibitum. 35
Saturnia dicta Italia. 39	Superstitiones antiquae ad Christianum ritum ac- commodatae. 47	Thus natura & dotes. 33
Saturnia Romae nomencla- turam accepit diuino in- finitu. 50	T. 90	Thuscus vnde dictus. 32, 36
Saturnus vnde dictus. 38	Tal. 46	Thuscus Herculis filius. 36
Saturnus Noctus. 37, 39	Talen. 111	Thuscus vicus. 109, & seq.
Saturnus Pici pater. 108	Tarpeia rupes. 111	Thuscae gentis conditor Ia- pegus. 32
Scirpiculum sive Scirpiculus. 109	Tarpeia rupes. 111	Thuscus, Tyrhencus. Thulin. 33
σπορέω. 36	Tas/Te-as. 38	Thymia. 33
Scopus. 36	Tas. 61	Thymus. 33
Scou. 36	Te. 71	Thyos. 33
Seer. 105	Tempus omnia domat. 52	Thyos. 36
Seerd. 105	Ter. 58	Thyos. 52
Seerden. 105	Ternarius numerus amoris vinculo conuenit. 68	Tiberinus fl. 52
Seeren. 105	Terra symbolum. 1	Tiberis fl. 52
Seres populi. 105, 106	Thalia Palicorum deorum ma- ter. 46. Vnde dicta. 46	Tiberis stagnatio. 53
Seres vermis. 105, & seq.	Thalassij acclamatio in nu- ptiis quid designet, & vnde dicatur. 103	Tibulli carmen de Fortum- no. 41
Seres vermis palingenesia symbolum. 106	The sine De articulus. 79	Ticon. 38, 103
Serice vestes. 105, & seq.	The sine Te. i. ad. 103	Torminalia sorba. 104
Serici vermes varij. 105	Theodori Gaza error in fa- gi nomine pro Phago. 83	Trou. i. conubio iungo. 74
Sestiana sive Sextiana poma. 65	Thentones. 25	Trou/Tru. i. verus. 40
Sex. Propertius. 30	Thian. 78	Tueor. 32
Siluanus idem qui Fannus. 108	Thua arbor. 33, 78, 79, & sequent.	Thwelf. 113
Simulacra Romanis multo tempore incognita, Ro- mam primum à Tarqui- nio Prisco allata. 55	Thutum sive Thuia arbor, Cedrino generi annume- ratur. 80	Tyrrhenus Lydi propago non male vocatur. 40
Simulacris Dei & eius mi- nistrorum quare veteres Romani abstinerint. 55, & seq.	Thuium sive Thuia arbor, arbor vite dicitur. 80	Tyrrheni Lydi non fuerunt. 37, 38
Simulacris & imaginibus quomodo vti liceat. 55, & sequent.		Tyrrheni quare vocati Thu- sci. 39
Sim. 48		Tyrrheni vnde dicti. 39, 40
Solis varia nomina. 107		
Solstitium. 61		
Som. 62		
Somer. 62		
Son. 25		
Sorbum vnde dictum. 104		
Sour. 107		
Statuarum simplicitas pror-		

IN VERTVMNVVM.

Weg. 85, & seq.	Woz. 41	Wallei. 46
Weger. 85	Wozber. ibid.	Walt. 82
Wclabrum. 54	Wort. ibid.	Wan. 87
Veneris poma cana. 71	Wortom. ibid.	Waut. 108
Vetus. 58	Wortom. 57	Ween. 87
Ver, veris, vnde dictum. 59	Vortumnus vnde dictus. 31	Wecning. ibid.
Ver astaticus pars. 61	Vortumnus Thuscus. 41	Weer. 59, 87, 89, 96
Ver, Weer, vocatur prima anni pars, variis rationi- bus. 59	Vortumni feriae, Octobri mense agi solent, &c. 57	Went. 58
Verto duplicè habet notatio- nem. 41	Vortumni signum quado & à quo sit translatus ex He- truria Romam. 49	Wellen. 46
Vertumnus. Vide Fortum- nus. 49	Vortumni statua omnes Dei personas, omnes potesta- tes, &c. indicat. 89	Weren. 59, 87
Veralia Octobri mense agere solent Romani. 57	Vitulatio. ibid.	Wesen. 101
Vinum. 107	Vitulor. ibid.	Wete. 49
Virgilius Sarpedoni compa- ratus. 84	Vitulus. ibid.	Widen. 87
Vitalia. 90	Vmbri. 25, 29	Wite. ibid.
Viterbum. 49	Vnedo. 82	Wijn. 104, 107
Vitula. 91	Vol. 108	Win. 58
Vitulatio. ibid.	Vol-curus. 96	Wininghemum. 24
Vitulor. ibid.	Volsinium vnde dictum. 48	Wint. 58
Vitulus. ibid.	Volsinium locus saluberrimus & amantissimus in Hetruria, Musis maxime conueniens, & prima di- sciplinarum sedes. ibid.	Winter. 58, 60
Vmbri. 25, 29	Volturna. 49	Wit. 87
Vnedo. 82		Witjet. ibid.
Vol. 108		Wit sine ut. 90, 91
Vol-curus. 96		Witalen. 91
Volsinium vnde dictum. 48		Witalia. 89
Volsinium locus saluberrimus & amantissimus in Hetruria, Musis maxime conueniens, & prima di- sciplinarum sedes. ibid.		Witer. 49
Volturna. 49		Wort. 49

W.

X.

W aliquando in B, aliquan- do in Qu, &c. mutatur. 87, 89. pro V longo sive magno ponitur. 90, 91	Xanthus Lydus historicus, 38
Wacht. 87	Z.
Wacr. 59	Zelotypie sacrificium, & cuius caerimoniarum ra- tio. 35
Wai. 105	
Walburgis. 47	
Walen. 91	

FINIS.

S V M M A P R I V I L E G I I .

REGIS Priuilegio sancitum est, nequis *Opera omnia* Goropij Becani partim antehac impressa, sed ab ipso emendata, partim uero non impressa, integra, vel eorum partem aliquam, citra Christophori Plantini voluntatem, à die cuiusq. editionis absolutæ intra decem annos, imprimat, aut alibi impressa importet venaliæue habeat, sub pœna confiscationis librorum: vt latius patet in literis datis Bruxellis pænultima Nouembris. M. D. LXXIIII.

Signat.

I. de Witte.

IOAN. GOROPII BECANI
V E R T V M N V S .

Interlocutores:
FALKENBURGVS, GOROPIVS,
ET FLAMINGVS.

FALKENBURGVS:



E B A R equidem me primum sũauĩ latissimæ huius auroræ luce perfuiturũ, ita matutinum me eripui portis: verũ hęc opinio me fefellit, atque vtinam sola hoc die fallat. Video enim alium suburbanæ auræ primitias antè me decerpisse; & ni profus cæcutio, Goropius est, demambulationis tam impensè studiosus, vt cum ipso Herodico certare possit. Quin igitur hominem inlamo? Goropi, Goropi, *Ἰνυπέρι*. G O R O P I . Quid hoc monstri? adeone subito citra talaria & Abaris sagittam raptus sum in Græciam? Quis vocat? bene res habet: bonis aui- bus vrbem exiui: Falkenburgum cerno, qui si comitem se mihi præbebit, vt solet, quàm humanissimè, diem hunc mihi lepidissimis suis colloquiis & eruditis salibus quibus semper abundat, beauerit. Desino nunc mirari Græcam salutationem: cum enim nemo plures auctores Græcos deuorauerit, nihil miri, si Græca erudet. Respondeat igitur Græco vati Græcus vates:

ἀλλὰ θεοὶ σοὶ δίδωσι ὅσα φέρει σῆσι μνησιν.

Quid hoc est, Falkenburge, tamne mane me inuitas ad Græcandum? F A L . Inuito sane, sed prius tamen ad ambulandum: nec me comitem aspernaberis, nisi & aliũ fortè hominem hodie indueris, & Homericus illius sis oblitus:

σύντε δὲ ἐρχομένοιο θεοὶ δίδωσιν ἀμείνω.

Scisne non tantum de Aristotelis placitis, quibus lubenter soles immorari, sed de Iouis etiam sententiã, humanæ naturæ solitudinem aduersari? Quid quod Socrates tuus adeo fuerit solitudinis inimicus, vt vix vñquam Athenas exiuerit; ne solus esset. Vt igitur spero gratum meum aduentum tibi esse: ita demiror, qui solus exiueris ambulatum. G O R O P I . Alij nullo negotio de communi prouerbio apud vernaculos nostros omnium ore detrito respondissem, præstare multo solum quempiam esse, quàm malè comitatũ, sed tu, cui minimè plebeiam hanc vocem obitici contuenit, sic habeto, me numquam minus solum esse, quàm cum ab omni hominum præsentia quàm longissimè absolum: neque verò putes libris etiam opus esse, vt in eremo dulci veterum allocutione fruatur, quam quidem fateor & iucundissimam esse, & longè communibus hominum sermonibus vtiliorem: sed ipsa nobis natura vbique suppeditat, quo otium omne, omnique solitudo procul excludatur. Vidēsne vt vtraque fossarum quibus via hęc includitur, ripa vario herbarũ virore nobis ardeat, & ad colloquium inuiter? Habētne hic oculi amoenissimum spectaculum? habētne lingua in quo se exerceat, vt diuersas è diuersis saporibus facultates colligat? habētne nares varios odores, vt & ex illis de natura iudicium petatur? Hęc igitur tanta varietas quantum, rogo, materiæ adferet ad interna mentis colloquia diu multumque alenda, præsertim mihi, qui in medicina tum discenda tum facienda totam ferè consumpsi ætatem. Dum cerno ex eodem cœno & ranunculæ feruentissimas, & nymphæam frigidissimam oriri, & continuum capere nutrimentum; vix possum fatis mirari hanc tantam eiusdem terræ diuersitatem; vt & vrenti flammæ, & congelanti frigori, alimentum largè fundat. Hinc mox in veterum laudes rapior, qui terræ symbolum sic fecerũt, vt quàm plurimis mammis esset in signe, nihil aliud eo indicantes, quàm admirabilem hanc lactis tum copiam tum varietatem,

Terra symbolum.

A a quo

quo omnia quæ de alio sua protulit, proportionem cuiusque nutriat. Quantus, bone Deus, hic campus est ad excurrendum; quem qui animo lustrabit, numquam cum solitudine exoptulare poterit, deesse sibi quod discat: contra potius id cõqueratur, tantam offerri rerum varietatem, vt ad eam mente complectendam nulla satis longa ætas esse possit. Iam vt infinitam hanc terræ potestatem omittas, in qua numquam deest de quo amplius sit cogitandum: annon & ipse ær auium cantu ad diuinas laudes nos rapit, & innumeras suppeditat contemplandi occasiones? Quid cælum, quid Sol obliquo suo cursu? an non satis habet latitudinis ad quantumuis magna discursus spatia, in quo mens quantumuis se exerceat, numquam tamẽ ad optatam cognitionis mietam poterit peruenire, semper sese vterius aliquo offerente, quod penitus intelligere desideret? Quid multis? sat bene comitatus est qui sibi non deest: cum in se perpetuò habeat quicum non ad vnum modò diem, sed perpetuò loquatur, & id quidem non de rumusculis, & rebus friuolis, sed de iis quorum monitu & scẽ & Deum nouisse possit. Quamuis igitur nihilominus quàm Socrates semper aliquid discere aueamus; non tamen æquẽ atque ille rus & siluas fugimus, quandoquidem in iis vt comites & libri desint, non desunt tamen infiniti magistri. FALK. Tu fortasse Napæas, Fannos, & id genus rustica numina audire consuesti. GOROP. Non nego & hos quidem frequenter occurrere, dum per totum vniuersitatis amphitheatrum citatis alis volamus: verum licet hæc nomina è ciuitate tua poetica ad nos non venissent; plantas tamen & arbores haberemus, quarum alloquiis solitudo omnis in ipsa solitudine excluderetur. FALK. Sentio profectò te non minus quàm Saryros auritum esse, vt qui & arbores ipsas susurrantes intelligas, & perinde atque Apollonius Tyaneus, audias te salutantes. Sed aliàs, quoties voles, harum cõsuetudine fruere: hoc die ego tibi, nisi quid veter, solitudinem adimam. Dic itaque quò cogitaris. GOROP. Ad Hygiæ fanum, vt ei exercitatione hac pro thure & mola litem. FALK. Teneo quid dicas, & nihil aliud tibi negotij esse, indignè fortè ferrent Spartani, qui suis ambulatione interdixisse narrantur. mihi certè id ex animi sententia cecidit, te non alium tibi itineris finem, quàm bonæ valetudinis confirmationem proposuisse. Quantum enim intelligere possum, tua nihil referet, quorsum eas, modò Esculapij tibi filiam concilies ambulando. Quod igitur tibi frequentissimè dedi, vt complura millia passuum tecum otiosus conficerem, id ego hodie vicissim abs te mihi dari velim. GOROP. Lubentissimè profectò, & id quidem, vt dicis, ex debito, sed dic quorsum me sis ducturus. FALK. Ad Arnoldi Flemingi Wininghemium prætorium. GOROP. Nihil sanè accidere potuit optatius. sed quid te illuc inuitat? FALK. Ipse Flemingus, nec is solus, sed ipsi etiam Iani Flemingi fratris piæ memoriæ manes eodẽ impellunt. GOROP. Huius suauissimi mei patroni non possum citra acerbissimum dolorem meminisse, qui eo me grauius affligit, quòd mors tam repentina fuerit, vt omnem operam meam præuerterit. Crediderim equidẽ Parcas metuisse, ne rursus, vt bis antea in Hispania, ab Orci faucibus amicum reuocarem. FALK. Nec minus ego quoque ægritudinis persentio. Nam quamuis non ita vetus inter me & cum notitia esset, tanto tamen arctius amicitia vinculum fuit, quanto calidius ego Musarum mystas amplector, in quorum numero quis fuerit Ianus Flemingus, te frustra docerem, vt qui ei non hic modò, sed in Pintiana etiam villa ante multos annos fueris familiaris. GOROP. Ita est. FALK. Equidem suauius, elegantius, acutius, salius ingenium non puto me vsquam gentium nouisse, quod si totum Musis dedicasset, facile cum summis laudatissimi sæculi vatibus certare potuisset: verum, vt mos est nostratibus, à Camcenis ad Mercurium collybisticum defecit: in eo recens Iaspis Sæci soceri sui exemplum secutus, qui cum inter poetas palmam facile ferre posset, maluit in foro & reip. luce maximus haberi, quàm in sacris Heliconis iugis hedera coronari. FALK. Non malè tamen Goropi ita comparatum est, vt diuinissima quaedam ingenia ab hac studiorum amcennitate se se ad remp. conferant, quo ij qui in tenui re Musas colunt, suos habeant patronos & Mæcenates, citra quorum subsidia difficile est otium litterarum tueri. Ceterum, quia te non minus bene quàm me ipsum erga communis amici manes affectum video: dicam qua gratia ad fratrem eius hoc diluculo properare cœperim. Non potui committere, quin optimo cum vati tum studiosorum omnium patrono epitaphium canerem, quod modò pro virili quidem parte mea absolurum ad fratrem

fratrem fero: & si libet, vt eius lectione itineris tædium fallamus: & aures mihi ad iudicium tuum commoda, quo si quid te offendat, mihi prius fias Aristarchus, quàm ab aliis carmen hoc legatur. GOROP. Non exspectaueram tantum mihi hodie felicitatis oblatum iri, vt non comitem modò & congertionem lepidissimum nanciscerer, sed carmine etiam inter eundem demulcerer. Quod autem me censoriam virgulam arripere vis, id tu quidem facis de solita tua modestia, ne dicam Socratica quadam ironia. Equidem cum non ignorem quid Mariya olim dicatur accidisse, diligenter cavebo, ne quem poetam temerario iudicio irrem. Sed age sis, incipe modò recitare: si quid erit quod non assequar, eius ego rationem potius & interpretationem rogabo, quàm vt otiosis tantum auribus, mente intentam aliò peregrinante, videar auduisse. FALK. Legam itaque: sed subueor, ne luctuosum argumentum & Dorica lingua te offendat. Quamobrem velut ad Hecates te cœnam inuitassem, quæ delicatis palatis minime grata est, ita promulside stomachum tuum exacuam, quo quantumuis dura, ad concoquendum, & arripere auidè, & probè conficere possit. GOROP. Attulisti ne vnà tecum oxyporum aliquod, aut colymbadis, aut garum Sociorum, an fortasse scordalmen aliquam ex Aristophanis culina, qua mihi languentem stomachum famelicum reddas? FALK. Nimis crasse & medicè verba mea capis; quasi ego Apicianam embammatum officinam circumferrem. Suauiore longè intinctu non linguam, sed aures irritabo. Habeo in sinu non pauca Iani Flemingi carmina, quæ ad fratrem, à quo legenda accepi, reporto, tam deliquata, tam falsa, tot vrbis leporibus condita, nihil vt magis elegans, nihil vt magis auditu iucundũ esse queat. Ex his aliquot epigrammata tibi dabo delibanda, quibus dispeream nisi te reddam flagrantissimum ad cetera audienda: quorũ tum loco epitaphium meum subiiciam, quo feruentibus adhuc auribus citra molestiam deuoretur. GOROP. Quamquam nihil opus erat incitamentis ad carmen tuum audiendum: quia tamen ingenium Flemingi amcennissimum & gratiarum plenum scio fuisse, nihil potest gratius accidere, quàm si des aliquot eius epigrammata degustanda.

CAROLI V. IMP. SEMPER AVGVSTI,

EPITAPHIVM VALLISOLETIS

Per Ioannem Flemingum, Dominum in Wininghem.

CAROLE dum mæsti persoluunt debita iusta
Nata Neposque tibi, & sollempni more parentant
Funebrem ad pompam: fatalia numina Parca
Conueniunt; Diuimque alij, tum fortè Sorores
Fatali commota vna: præconia fama
Clara tua, partumque tibi per funera cælum
Dum memorant, mæstis numeris sunt taliter orsa:
Nos tibi Regales ortus, Regalia sceptræ,
Et dedimus puero tibi florentissima regna,
Romanum iuueni Imperium, mox orbis habenas
Tradidimus, superis simul & plaudentibus astris:
Quæ tibi nascenti vel felicissima cælo
Fulserunt. Sic ipse tuo Iouis ales in ortu
Constitit, atque tibi geminæ micuere coronæ.
Hæc oriens, medio stetit altera vertice cæli,
Vtraque Cæsareos quondam ornatura triumphos.
Inde nouo pater armipotens lætatus alumno,
Auspiciis tentata tuis bene præclia vertit.

Sic mox Hesperia magna cum laude tumultus
 Componens, pacem populis & iura dedisti.
 Sic insperato victi certamine Galli,
 Flumina Ticini fuso tinxere cruore:
 Et tristis captum defleuit Gallia Regem.
 Sic alias inuicta suo cum Præsule Roma
 Capta fuit, dominæque orbis dominatus es vrbi.
 Armaque Threicium fugientem angusta tyrannum
 Danubius pater aspexit, fluidusque Tibiscus.
 Sic etiam Libycis tua prospera prœlia bustis
 Africa restatur: Cessit tibi victa Tunete:
 Cessit & incensa prædonum classe Goleta.
 Belgica deinde nouos agit dum forte tumultus
 Terra parens, non hostiles transire per agros
 Es veritus, fide Gallorum discrimine magno
 Confusus: tibi tanta fuit sedare cupido
 Flandrorum motus, patriæque parare quietem.
 Ecce sed occulto conspirans Geldria bello
 Gallorum cum Rege: tibi fuit altera causa
 Vincendi: peruulgato sic vnus vrbis
 Excidio. Sine cæde virum, sine sanguine fuso
 Progressus, gentem indomitam, genus acre Sycambros
 Vicisti. Galloque nouæ noua fœdera pacis
 Concedens, incerta paras fortissimus arma
 Cæsare digna, quibus discors Germania tandem
 Victa, tuas Aquilas & scepra potentia supplex:
 Agnouit: Cunctique tibi cessere rebelles.
 Quin etiam auspiciis alio noua Regna sub axe
 Parta tuis. Obeunt, quos est mirata vetustas,
 Antipodes tua iussa. Nouus tibi seruit & Orbis.
 Hæc bello. Nunc quanta fuit prudentia pace,
 Dum populos regis imperio ac moderamine miti.
 Iustitiamque colens, Diuum studiosus honoris:
 Relligio tibi præcipue fuit vnica curæ.
 Ah quanto collapsa tibi stetit illa labore,
 Discordes dum per discordia dogmata gentes
 Composuisse studes. Nisi fors conatibus impar
 Turbasset medios, prò, vota per irrita cursus.
 Illa fuit persæpe tuis contraria cœptis,
 Et terra pelagique graui defæuuit ira.
 Sic infelici tentata est Africa bello
 Aduersante Deo pelagi, qui viderat ante
 Signa tua Herculeas ultra prolata columnas.
 Ne've tuis totum titulis accederet ænor,
 Sæuuit in classem. Sic & Germania bellax
 Indignata iugum, sumptis se vindicat armis.

Tu ta-

Tu tamen hæc variæ semper ludibria fortis
 Ingenti vicisti animo. Victoria tandem
 De te ipso postrema fuit, dum cuncta resignans
 Magnanimo viuis nato tua Regna Philippo,
 Otia decrepitæ quæris tranquilla senectæ,
 Priuatæque studes vitæ, solique quieti
 Noluimus: ruptoque tuæ mox stamine vitæ,
 Iussimus accedas tandem noua gloria cælo.
 Hic Mauors tibi fortè locum, qua portitor Helles,
 Aut vbi signiferum stellis ardentibus ornat,
 Scorpium elegit: legit tibi proxima signa
 Alma Venus, qua Libra micat radiantibus astris.
 Contra Astræa suo voluit defigere sedem
 Austriaco, qua parte poli sua sidera fulgent
 Virginis Erigones tardo coniuncta Booti.
 At pia Relligio Diuum præfecerat aræ
 Fulgenti latè cælo, sed noluit ipse
 Iuppiter, angusta qui cæli parte locatum
 Præfexit te nempe suis sancto ordine stellis,
 Quas pius ille senex arcu fixasque sagittis
 Et manibus, cubitoque, & toto corpore Chiron
 Sustinet, & claro radians diffundit Olympo:
 Vnde tuos foueas semper procliuis Iberos:
 Vnde tui semper Capricorni proxima spectes
 Quæ fulsere tuis orientia sidera cunis.
 Ille fores seruans cælestis Ianitor aulæ,
 Te, si quando lubet Diuum succedere tectis,
 Inducet cælo: nam sic mandauerat olim
 Iuppiter, & Superi pleno assensere senatu.
 Hic pietatis honos: hæc vitæ fortiter actæ
 Præmia: quæ nec mors, non vlla iniuria lædet
 Temporis. Hæc ternæ pariter cecinere Sorores.
 Singulæque æratis mox insculpsere tabellis.

E P I T A P H I V M M A R I Æ

REGINAE HVNGARIÆ.

FVNEBRES has exequias, funebria iusta,
 Et de more pias soluimus inferias,
 Manibus ô Regina tuis: ô femina princeps,
 Nostra cui nullam sæcla tulere parem!
 Crudeles diui, cur tanta licentia morti est?
 Siccine erat subito præcipitanda malo?
 An quia mors magnum confecit Cæsara, prædam
 Hanc dignam titulis credidit esse suis?
 Atropos, vt famæ, & virtutibus inuida, vitæ,
 Stamina præcipiti rumperet vsa manu?

Supra

A a 3

Illa

Illam ramen, veluti si quis de litore soluens
 Nauiget, & placidum per mare tutus eat,
 Leniter excessit: vitæ secunda beata,
 Aspectu æterni sic fruitura Dei.
 Natalem Belgis, fatum donauit Iberis:
 Vtraque sic tellus quod veneretur habet.
 Illius ingenium, virtus, animusque virilis
 Claruit Eois Occiduisque plagis.
 Atque ea florebut, fama que superstiti viuunt:
 Inuida Mors cessa, hic nil tibi iuris erit.

IO. FLEMINGVS IVNIOR ARNOLDO

FLEMINGO FRATRI CHARISSIMO S. D. P.

ACCIPERE perpetuas à charo fratre salutes
 Frater, & hæc vitæ nuntia scripta mea.
 Hactenus ad Tamisim Londina viuimus vrbe,
 Anglica non aliam qua tenet ora parem:
 Pulchra situ, populosa viris, magnisque superba
 Censibus, & cultu est suspicienda suo.
 Multa quidem exhibuit visu dignissima, sed quæ
 Omnia sit longus commemorare labor.
 Non procul hinc qua terra plagas videt ista cadentes,
 Vna sed è multis Regia celsa iacet,
 Quæ modò præsentem hospitio clarissima Regem
 Excipit, atque sui Principis ora videt.
 Hunc ego, laus superis, vidi, sed sæpe videndo
 Non oculos potui, non fatiare animum.
 Ille decem, vt memorant, coniunxit quatuor annos,
 Et peragit vitæ tertia lustrâ suæ.
 Tanta sed est puero placidi reuerentia vultus,
 Quanta vel annofo vix queat esse seni.
 Os nitidum, placidaque genas, frontemque serenam,
 Luminaque humani plena fauoris habet.
 Corporis est habitus, quem si depingat Apelles,
 Non aliqua pingi pulchrior arte queat.
 Adde quòd ingenium felicitè ornatum
 Artibus, vt studiis vix ferat ille parem.
 Hinc affabilitas, hinc illam Regia virtus,
 Mirandum cunctis genibus esse volunt.
 Certè ego si nihil hac aliud regione viderem,
 Non potero exactæ penitus esse vitæ.
 Hactenus hæc, nunc propofiti sententiam nostri
 Quæ sit, inexpleta nosse timentis voles.
 Proxima cum referet, rosos auro rai iugales,
 Protinus inceptum perficere mus iter.

Et quæ

Et quæ se latis pandit Cornubia campis,
 Ibimus occidua sub regione plagæ.
 Atque ibi, nil præter ventos expecto secundos,
 Flabraque ad Hispanum quæ citò litrus eant.
 Tu modò, vt absentem, tueantur numina fratrem,
 Sis memor attento sæpe rogare animo:
 Vtque habeant semper faciles mea carbasa ventos,
 Et reliquum tuta naue per æquor eam.

Vale, xij. Decembris 1551. Londini.

EIVSDEM IN ABITVM NEARÆ

ELEGIA PRIMA.

ERGO dies venit, qua disiungemur amantes,
 Flebilis, & lachrymis sæpe notanda meis,
 Qua procul hinc sine me, sic fors tulit improba, debes
 Ire peregrinas, chara Neæra, vias?
 Et me relictu in lachrymis, seuo que dolori
 Ah comitem lateri non licet ire tuo?
 Febris enim miserum insolitis ardoribus vrgens,
 Detinet ingrato languida membra toro:
 Et stomachus nullam languens admittit orexim,
 Qui solo appositas horret odore dapes.
 Vna sitis nullis vnquam mihi deficit horis,
 Quam simul exhausti non leuet vnda Tagi.
 Sic mihi natiuos macies inuecta colores
 Abstulit, & toto pallor in ore sedet.
 Instabilisque gradus pronò firmare bacillo
 Ante diem iuuenis cogor, & esse senex.
 Forsitan hæc poteram patientis omnia ferre,
 Vnaque multorum nostra querela foret.
 Et spes venturæ quondam concepta salutis
 Non erat afflicto patua medela animo.
 Verùm abitus, mea vitæ, tristisque recessus,
 Quis nisi cum magno ferre dolore queat?
 Nil grauius propter Brisida sensit Achilles,
 Mouit vt iratum rapta puella ducem.
 Illius ereptos dum suspirabat amores,
 Nempe fuit tanto digna querela viro.
 Nec minor est nobis iniusta causa doloris,
 Quem grauis in tristi pectore versat amor.
 Chara Neæra, Neæra, mihi me charo ipso,
 Dum mæstam hinc sine me te procul ire queror.
 Teque graui desidentis vultusque requirens,
 Ah quoties falsis ludor imaginibus,

supra

Aa 4

Occur-

Occurrunt mihi blanditiæ; & consueta voluptas,
 Gaudiâque alternis sæpe iterata iocis.
 Et quæcumque mihi tecum iucunda fuerunt,
 Nunc grauis afflicti sunt dolor vsque animi.
 Sic mihi nulla dies, non nox fert vlla quietem,
 Et viuo vitæ nescius ipse meæ.
 Et, nisi spes reditus, quam tu mihi blanda dedisti,
 Vulnera cœu medica nostra foueret ope,
 Certè ego, cum nequeam tanto superesse dolori,
 Optarem fusi sili recisa mei.
 Nam quem vita suo defatigata dolore,
 Anxia continuis aut iuuet vlla malis.
 Ergo tibi si cura mei est, cura vsque reuerri
 Ocyus, aut duro fractus amore cadam.
 Et grauis aduersi fuerit mox finis amoris,
 Quòd si post nullus funera restat amor.
 At tu si quando te fortunata reducant
 Fata, memor nostri viue, Neæra, precor;
 Et diffunde meo gemitus, lacrymasque sepulchro:
 Illa decent cineres vnica dona meos.

Conqueritur de amore, quod se solum suis armis impetat, & digreditur ad Neæram, vt se amare velit orans.

ELEGIA SECUNDA.

ERGO ego non potui prima vitare iuuenta
 Tela pharetrati perniciofa Dei?
 Sæue puer, quid me insultum tam fortiter vrges?
 Et rude tam magno corripis igne iecur?
 Parce precor victo iuueni tua signa sequenti,
 Qui noua militia iam capit arma tua.
 Parce, nec infestis miserum prosterne sagittis,
 Hostibus hæc tua sunt arma mouenda tuis.
 Vre, sed immodica noli consumere flamma,
 Vre, patent flammis pectora nostra tuis.
 Sentiat & similes formosa Neæra sagittas:
 Ah nimium formæ sili puella sua.
 Sentiat illa tui sit quanta potentia necui,
 Sentiat hæc quanto numine regnet amor.
 Atque, faces experta tuas, patiatur amari,
 Discat & obsequio mollior esse meo.
 Tunc ego vota tuis soluens sollempnia templis,
 Munera cum grato thuris, odore feram.
 Atque tibi de more nonos, sacrabimus hymnos,
 Et quæ sint laudis carmina plena tue.

Tuque

Tuque Neæra mei iustissima causa caloris,
 Vt tua fac flammæ temperet aura meas.
 Perge nec ingrato iuuenem deludere fastu,
 Ne penitus duro fractus amore cadam.
 Sufficiant lacrymæ, gemitus, suspiria, questus,
 Et desiderij spesque metusque mei.
 Sufficiat dolor, afflictum qui luce fatigat,
 Nec minus obscura me quoque nocte premit.
 Sic ingrata Ceres, ingrataque munera Bacchi,
 Et me, si qua venit, non iuuat vlla quies.
 Morsque in amore meo est, nisi tu charissima rerum
 Auxilium fesso qualibet arte feras.
 Et mea quæ medicas non sunt curanda per artes
 Vulnera, facta tuo sana fauore, leues.
 Sic fueris mihi causa mali, mihi causa salutis,
 Non secus ac quondam Pelias hasta fuit.
 Seruatusque tuo dicam tibi munere grates,
 Nostraque erit laudis prodiga Musa tua.
 Illa tuum longo cantabit carmine nomen,
 Et dicet formæ singula dona tua.
 Quantaque tam raro sit virtus iuncta decori,
 Quæ tibi certè animos non sinat esse feros.
 Sin secus: atque hinc durus Amor, dura inde Neæra
 Pergitis in nostrum dũriter exitium.
 Ipse lubens moriar: nec erunt meæ funera laudi
 Siue Cupido tibi, siue Neæra tibi.
 Vtque ea venturis moueant suspiria seclis,
 Tale mihi in tumuli marmore carmen erit:
 Hic iacet aduerso iuuenis prostratus Amore:
 Causa necis misero dura Neæra fuit.

EIVSDEM IN POSTERIOREM

CLADEM VRBIS ROMÆ,

ex Italico versum.

EN dominæ colles vrbis, sacræque ruina,
 Quæ veteris Romæ nunc nisi nomen habent.
 Ast vbi tantorum miseranda sorte virorum
 Reliquiæ? letho corpora fusa iacent.
 En pompæ celebres, arcus, sacra arte colossi,
 En, sed marmoribus nuda theatra suis.
 Cernite vt in modicos cineres sint omnia versa,
 Vilis & externo fabula sint populo.
 Sic licet aduersum monumenta celebria tempus
 Bella gerant, aliquo tempore victa cadunt,
 Nec modò res ipse taciturnis passibus æui,
 Ipsa sed & rerum nomina trita iacent.

Ergo

Ergo ego tristitiasque meas, interque dolores
Contentus dura forte libenter ero.
Nam si cuncta suo consumunt tempora cursu,
Et finem nostris illa dabunt lachrymis.

EIVSDEM IN CARTAM COSMOGRAPHICAM

IO. GUICCIARDINI MERCATORIS FLORENTINI,
ab eodem in carcere Antuerpiano factam.

Naso Tomitano dum viueret exul in orbe
Inter inhumanos, indomitosque Getas,
Leniit exilij maestum per tædia carmen,
Cumque auctore suo maesta poësis erat.
Sic Guicciardinus dum tristi in carcere vitam
Degit, & hic longo tempore maestus agit,
Repperit hæc duræ solatia dulcia fortis,
Lenimenque suis, auxiliumque malis:
Scilicet in magno magnum Iouis alite mundum
Pingere præclaræ quod foret artis opus.
Vt licet in parua posset spatiarier æde,
Parte tamen mundi qualibet ille foret:
Et nunc Eoos, & nunc spectaret Iberos,
Nunc loca sub geminis conspicienda polis.
Nunc varios montes, diuersaque flumina terræ,
Æquora nunc tumidis aucta videret aquis.
Denique sic sortemque suam, & fastidia vicit
Carceris, atque animi tædia longa sui.
Ne tamen auctoris labor hic priuata voluptas,
Publica multorum sed foret vtilitas:
Edidit, atque orbem spectandum præbuit orbi,
Sic vt non alia clarius arte queat.
Ergo sui quicumque vides monumenta laboris,
Iure illi grates candide lector agas.

EIVSDEM IN ELEGIAM MOLSAE

ANTE OBITVM.

AVDIERANT Parcaë hos elegos & flebile carmen
Molsa, quod interitum concinit ante suum.
Indolere deæ, fatisque iubentibus illi
Fila, sed inuita præseuere manu.
Tum pater arcitenens, Molsæ præcocia questus
Funera, fatidicos hos dedit ore sonos:
Molsa breuis tibi vita fuit, sed carmina viuunt
Hæc tua, quæ nullo funere victa cadent.
Et quæ fata tuæ dempserunt tempora vitæ,
Aucta dabo famæ prosperiora tuæ.

Inter

Inter & Aonios cantabere Molsa poëtas,
Donec ego Latij carminis auctor ero.
Et mea iam pridem viuo tibi debita laurus,
Busta super sparsis stet tua celsa comis:
Vnde petant passim venturi præmia vates,
Et tua cum iusto fata dolore legant.
Terque tuos sacro venerari carmine manes,
Terra, rogent, cineres non grauet vlla tuos.

EPISTOLA AMATORIA

EIVSDEM FLEMINGI.

ANDROMACHE nostri motrix iucunda caloris,
Vna quies vitæ præsidiumque meæ,
Hæc tibi perpetuam perfert ab amante salutem
Littera, languenti vix perarata manu;
Hic vbi vicinas Prouincia conspicit Alpes
Gallica, & est Ligurum iuncta Nicæa mari.
Terra procul Belgis, vbi te, mea vita, relinquens,
Sum passus longæ tædia multa vitæ.
Me calor ætherius Nemeæique ira leonis
Torruit, æstiuum Sole tenente Canem.
Mi montes, mihi saxa suis in montibus altis
Obuia, festinas impediere vias.
Me mare vicinum multis infame piratis
Sollicitum, merito terruit vsque metu.
Omnia felici superavi fortiter ausu,
Et mihi nunc eadem est, quæ fuit antè, salus.
Dij faciant simili viuas contenta salute,
Et precor vt tibi sit maxima cura mei.
Est tibi, nec dubito, sed & absens multa vereri:
Forfitan & vanos cogor habere metus.
Da veniam nimium temere peccasse fatenti,
Si te non factò crimine lædit amans.
Quod superest, ego te solito complector amore,
Imperiumque mei pectoris vna tenes.
Et memor vsque tui viuens noctesque diesque
Torreor, accenso dum iecur igne calet.
Et quamquam meus ignis abest, tamen vrimur igni,
Dum procul absentem me tuus vrget amor.
Ille graues agitat confusa in mente dolores,
Durus & assiduis me premit vsque malis.
Testor ego deprompta imo suspiria corde,
Atque eadem lachrymis humida facta meis.
Qualia Threicius vates, in rupibus Hæmi
Edidit, amissa flebilis Eurydice.

Audiit

Audiit hæc latis fundata Lutetia campis,
 Quaque repartitis Sequana fertur aquis.
 Et Ligeris potuit nostras audisse querelas,
 Gallica qua sparsis perluit arua vadis.
 Et mansuetus Arar, cursu fortasse retento
 Constitit ad questus, indoluitque, meos.
 Ipse pater Rhodanus nostris est fletibus auctus,
 Et solito rapidis fortior iuit aquis.
 Concussique meis rigidas singultibus Alpes,
 Ipsaque conspicuis horrida saxa iugis.
 Dij nemorum, resonansque imis in vallibus Echo,
 Sæpius ad gemitus ingemuere meos.
 Mæque dolor potuit saxo mutare vel orno,
 Seu flentem in liquidam vertere fontis aquam.
 Certa nisi nostros minuissem gaudia luctus,
 Per lachrimas memorem dum licet esse tui.
 Sic mihi sunt risus, sunt vno tempore fletus,
 Certantque alternis gaudia cum lachrimis.
 Vt constare sibi dicas contraria secum,
 Usque adeo forti numine regnat amor.
 Flamma abit in lachrimas, lachrimæ siccantur ab igne:
 Sic lachrimæ flammam, flamma iuuat lachrimas.
 Cur ita? nata mari Venus est, sed natus in Ætna
 Est amor, hic flammam, illa facit lachrimas.
 Horum ego dum vitæ concessio munere fungar,
 Numina tollemni religione colam.
 Dumque illis meritis statuemus honoribus aras,
 Fumabunt sacris thura Sabæa focis.
 Et circum, si parua iuuant quoque munera diuos,
 Certè ego quæ potero qualiacumque feram.
 Atque ea cantatis deuotè ornabimus hymnis,
 Quos legat atque auide sæpe recantet amans.
 His nomen, laudisque tuas, miscere iuuabit
 Andromache, & formæ munera rara tuæ.
 Virtuti coniuncta simul, quæ maxima fulgens
 Est tua cum magnis associanda deis.
 Tempus erit, si non nobis contraria fata
 Impediant animi vota precesque mei,
 Cum tu, dij faciant, nostri miserata calor
 Præbebis vitæ tempora læta meæ:
 Damnabisque moras, dilataque gaudia lecti,
 Pensabis longis blandula deliciis.
 Tunc mecum mea Musa tibi deferuiet vni,
 Inque tuo promptum nomine carmen erit,
 Quod sonet Andromachen, quod sic te laudibus ornet,
 Vt magis ipsa tibi iure placere queas.

Cur

Cur ita crediderim tibi proxima somnia testor,
 Si modò nostra aliquod somnia numen habent.
 Langueram, & tristes agitabam pectore curas,
 Ipseque erat nostri causa doloris amor.
 Cum Cytherea meas non auersata querelas,
 Astitit & blanda cum genitrice puer.
 Atque ait, ô iuuenis solito iam parce dolori,
 Si licet, ipsa mea restitueris ope.
 Namque nisi pugnent fati contraria fata,
 Nec mea sint alio Numina victa Deo,
 Ipsa sui pridem quæ te deuicit amore,
 Andromache thalamis cedit amica tuis.
 Felicesque ambos Amor & Concordia dulcis
 Coniugij ad summum nutriet vsque diem.
 Si tamen ambitio, seu mens auersa parentum,
 Ah desiderio pugnet iniqua tuo.
 Auersusque Deum genitor Iunone sinistra,
 Opponat votis numina dura tuis.
 Andromachesque tuæ, ne quod modò sperat & optat,
 Audiat in thalamos sponsa venire tuos.
 Certè ego quæ nostri reputetis dona fauoris,
 Concordes foueam semper amore animos.
 Quem non vlla dies, non vlla occasio rerum
 Eruct ex huius pectore siue tuo.
 Hæc præsens Cytherea, suæ sed & ipse parenti
 Annuit, & meritis dicta probauit amor.
 Somnus abit, cumque ipsa Deum mox numina somno,
 Aëris in liquidas diffugiere vias.
 Sensi ego quod mentem iam confirmauerat ægram
 Coniugij Andromache, spes mihi facta tui.
 Illa tamen secum nondum secura laborat,
 Maiorumque timet quò ferat ambitio.
 Ah pereat si iam pridem sperata duorum
 Optati impediât fœdera coniugij.
 Et dulces natos, & quæ Venus aurea spondet,
 Pignora legitimi turbet iniqua thori.
 Dij precor vt tantos liceat vitasse dolores,
 Nec videant nostri tam mala fata dies.
 Nèue, quod heu vereor, fati imperiosa potestas,
 Alterius socium me velit esse thori.
 Præcipitem rapiat (nolim, sed dicere cogor)
 In non quæ sit fœdera coniugij.
 Si tamen hic visum superis & sorte maligna,
 Debetur tantis anxia vita malis.
 Heu mihi quàm multos patiar sine teste dolores,
 Quantaque in afflictio tristia corde feram.

B b

Adde

Adde quòd occultos graue diffimulare dolores,
 Sitque pati pœnam quàm tacuisse minus.
 Sola, nec illa tamen, mors interrumpet amores
 Tristis, & humanis inuidiosa bonis.
 Nam tua præcipites si rumpunt stamina Parcæ,
 Funeribusque velint me superesse tuis,
 Amittam quod amò; sed mors non tollet amorem:
 Mortua namque eadem cura futura mihi es.
 Ossa tua & cineres venerabor sæpe sepultos,
 Et tua pro magno numine busta colam;
 Dona ferens, lacrymas, gemitus, suspiria, questus,
 Quæ dabit ingenti victus amore dolor:
 Andromachæque meo, seu viuæ siue sepultæ,
 Nomina nulla dies auferet ex animo.
 Sin verò me fata trahunt inopina priorem,
 Et fuerint vitæ stamina rupta meæ:
 Non tamen extractum solito frustrabis amore,
 Nec tua cum nostro funere flamma cadet:
 Sed solata meos pietas tua maxima manes,
 Perfoluet tumulo dona suprema meo.
 Non violas, non ipse rosas, tristisue cupressus
 Cedo, nec accensis arida thura focus.
 Andromache, gemitus dabis & lacrymantia verba,
 Quæ moneant cineres ter repetita meos.
 Quæ procul Elysiis in vallibus audiat umbra,
 Et fuerint reliquis manibus inuidiæ.
 Dij tamen auspiciis mutent melioribus omen,
 Et precor à nostro mors sit amore procul.
 Interea dum me spes & timor vrget amantem,
 Fluctuat & dubio nostra carina mari:
 Et peregrè à chara rapior distractus amica,
 Anxius innumeris sollicitudinibus:
 Andromache mea vita, & vitæ sola voluptas;
 Si qua tamen sine te vita placere potest,
 Viue memor nostri, seu me fors læta reducat,
 Seu peregrè cogat viuere, siue mori.

I O A N N E S F L E M I N G V S S V A E

C H A R I S S I M A E A N D R O M A C H A E.

A N D R O M A C H E, chara Andromache, mea maxima cura
 Andromache, ô flammæ nobilis aura meæ,
 Viue mei semper, memor, & mihi mutuis ardor
 Ille tui, summum non cadet ante diem.
 Communi sic mixta fuerit dulcedine vita,
 Solaque mors, nostri finis amoris erit.

V R O R,

V R O R, & occulto te propter torreo æstu,
 Tuque pari mecum non minus igne cales.
 Nostra tamen secreta manet, nec flamma notatur
 Mutua, dum nofter diffimulatur amor.

H E V quantus dolor & turbatis anxia cura
 Mentibus est tacitas occuluisse faces.
 Mors optanda magis, quòd si sua funera passis,
 Nullus ab occulto restat amore dolor.

Mors & amor duo tela gerunt, sic faucius arcu
 Aligeri gelidæ sentiit arma necis.
 Infelix ah vita hominum, si vita vocanda est,
 Quam mors, quam tristi funere lædit amor.

A N D R O M A C H A E consueta meis feruoribus aura,
 Qui pridem nostrum corripuere iecur.
 Viue precor, nostrique memor sis semper amoris,
 Mutuus vt summum duret adusque diem.
 Gratus vt accensos ignis qui torret amantes,
 Ille etiam nostros luceat ante rogos.

A R D E O, si video, mors est non posse videre,
 Sic miserum ex omni parte fatigat amor.
 Tu verò, si quid malim, charissima quæras,
 Flamma mihi, sed non mors in amore placet.

Ipsa voluptati est quæ spes non fallit amorem:
 Qua frustratus amor, magnus amaror erit.

I N I O A N N I S F L E M I N G I D O M. I N
 W I N E G H E M, S Y M B O L V M; Q V O D E R A T,
 M O R S E T A M O R,*Ioannis Latomii carmen.*

M O R S & A M O R, dirum miseris mortalibus omen,
 In quos pro libito sæuit vterque suo:
 Scilicet vt veteres à morfu nomen vtrique,
 (M O R in vtroque tenes) imposuisse putem.
 Quid, nisi nos mordet, quos tam malè tractat, vterque,
 Afficit & tantis commoda nostra malis?
 Mors semel, iste diu; nec flectitur iste, vel illa:
 Illa vorat totum, viscera mordet amor.
 Mille genus morbis pro dentibus vtitur illa,
 Vulturis hic rostrum spem gerit atque metum.
 Blandus hic, illa ferox: tamen optat vterque timeri,
 Cum iaculis faciem mors quatit, iste facem.

B b 2

Neutri

Neutri sunt oculi, tamen insidiatur vterque:
 Et facit hæc nudus, mors anus, iste puer.
 Scire velim, nostrum quid mouerit ergo FLEMINGVM,
 Symbolon è nostris fecerit vnde malis?
 Dic Erato. Summus vates fuit ille, sciebat
 Hos necis & vitæ ius penes esse suæ.
 Demeruisse quidem se iam sperauerat ambos,
 Hoc habito tituli prorsus honore noui:
 Et certè dignus fuerat, cui victus vterque
 Parceret, & vacuos vellet abire dies.
 At nimis, heu, durum toties expertus Amorem,
 Promissis facilem, perfidiâque leuem;
 Occidit insidiis vtriusque, & nocte petitus,
 Coniugis in tepido dum fouet ossa sinu.
 Illa fouet gelidum, mirata quid vsque taceret:
 Heu dolor, exanimem sentit habetque virum.
 Sic rapuit nostrum malè tessera culta FLEMINGVM,
 Ominis infaulti tessera, MORS & AMOR.

ALIVD EIVSDEM.

MORS & AMOR tumulo simul hîc conduntur in vno,
 Scilicet hoc tegitur mortuus orbis amor.

GERARTI FALKENBURGI IN OBITVM
 IOANNIS FLEMINGI
 CARMEN.

Ἰωάννης φλημίγης ἑπαιτάφιον.

Αἰάζω φλημίγην, ἐπαιάζει δὲ μοῖσαι,
 ὤλετο φλημίγος, μοῖσαι δὲ τὸν δῶδρα ποτῶντι,
 τὸν φίλον ἀπόλωνι, καὶ ἐχαρίτεσιν ἀπεχθῆ.
 αἰάζω φλημίγην, ἐπαιάζει δὲ μοῖσαι.
 νῦν τέλειεν, πῶντες δὲ ὑπνω γλυκὴ δῶδρον ἔλοντο
 ἐν μεγάρῳ δμῶες, καὶ τέκτονας οὐκ ἐπ' ἔργον
 ἐξήγειρε φίλον πόντον, ὡς θάλασσα παναναίδης
 ἴωθε ποτὶ κλίθῳ δῶδεα, τὰ οὐκ κείρ
 φλημίγῳ πανάποδμον ἄμ' αἰδοία ἀξοκοίπι,
 καὶ ἐφῆκε βέλεμνον, ἐδὸν τ' ἐξείλετο ζῶων.
 αἰάζω φλημίγην, ἐπαιάζει δὲ μοῖσαι.
 καὶ πόσιν ἀλόχῳ ποτὶ ἐρνομῶρα νέκειον ὄντα,
 οὐνεπ', ἐμοῖς φαέεσιν ἴθον πεφιλαιμῶρα θυμῶ
 ἀνερ, ἀπ' αἰῶν σὺν θεῖ φάγοντι φύγομι.

σεδ

σευ αἴτερ ἐδμῶμα ζῶειν, ἐτ' ὄχομαι, αἰ αἰ.
 ὦ μοι, ὅτ' ἐδμῶμα καὶ τὰ ψυχῶ σ' ἐρύσαοθ.
 αἰ ὅπ' δεσμά μῶρῳ θνατῶς οὐκ ἐσιν ἀλύξαι.
 αἰάζω φλημίγην, ἐπαιάζει δὲ μοῖσαι.
 ἐν π' εὐκπιμῶρα, ἐχ' ἔρμαο τῆλοθι ναῶ,
 ἔνομα βινέγεμον κάμα πολυλήιος, ἐνθά
 πῖονι διαμάτηρ μέτεω πῖμπησι καλιας
 εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος, καὶ ἀμαδρυάδες ποτὶ λόχημα
 πολλὰκι φλημίγῳ ζῶντος σάσαντο χορεία,
 ἀδρε τ' ἀμοιβομῶρα ποτε ποικιλόγαρος ἀηδῶν
 τῶνθ' θυμὸν ἱανομῶρα φόρμιγι λιγεία.
 νῦν καὶ ἀμαδρυάδες νύμφαι λίπον ἡλικὰ δρυμῶν,
 καὶ ὄρνιχας ἔχει κρυερός γῶος ὑψόθι δένδρων,
 φλημίγος τέθνηκεν ἐν ἀλλήλοισι λέγοντας.
 ὅζον ἀπαντα θέρους, καπὸς κρῖνα λευκὰ τίτταλλε,
 κ' ἐν μέσῳ χειμῶν καλοῖσι τέθηλε ρόδροισιν,
 καὶ μελθῶσιν ἴοις, οἳ ἐν σεφῶοισι λέγοντι.
 νῦν καὶ καπὸς ὄλωλε, καὶ δῶθεα πῶντ' ἐμαρθῶθη,
 νῦν καὶ οἶκος ἀοικος, ἐπεὶ φλημίγῳ ἀπέσθη.
 αἰάζω φλημίγην, ἐπαιάζει δὲ μοῖσαι.
 πᾶσα πόλις γοάει, ὅτ' ἀεῖσον ὄλεσε πολίτην,
 ταῖς πάσαις ἀρεταῖσι κεκασμῶν, ἠδὲ καὶ ὄλωλε.
 ἐγὼ ράπτε δόλους, ἀπατήλια ψυδῶρα βαζῶν,
 ἀλλὰ λόγος τῶνθ' κραιτέρῳ δῶτάξιος ὄρεω.
 καὶ οὐκ ἀχρεῖος τῶνθ' ἐπέλε χευστὸς ἐν οἴκῳ,
 ἰνδογῶν ὡς μυρμαίκων· ἐμῶ δμῶνδρον
 οἶα πρέπει αἰτεῖν αἰτῶμῶρος δὲ κ' μοῖσαν,
 παοῖς πλείεα δίδες, καὶ πολλ' ἀγαθοῖσιν ἐταίροισ.
 ἐδὲ κακὸς πέλε ξηνοδόκος· μέτερον δὲ φυλάξας
 τὸν παρῶντα φίλησε, θέλοντα τ' ἔασε νέεσθ.
 αἰάζω φλημίγην, ἐπαιάζει δὲ μοῖσαι.
 μεθ' ὅλοισι πεινώσιν, ἐπεὶ φλημίγῳ ἀπῆλθον,
 μεθ' ὅλοισι πατὴρ τελέθων, καὶ πότινα μάτηρ.
 ἐδεις γ' ὅτ' ἴω ποτὶ οἶνον ἱκανὸν αἰδοῖς
 σὺν μοῖσαισι, φέρων τι μελύθριον ἀδὺ λάλημα,
 ἢ βίβλον νεότυκτον, ὃς ἀλιθίαν ὁδὸν ἴωθε·
 πῶντας ἐδῆξατο δαῖπ, καὶ αἰμυλίοισι λόγοισι,
 καὶ πάλιν οὐκ ὀλίγα σὺν δωτινῶ ἀπέπεμψε.

Bb 3

ἠνὶ γεω-

ἠνὶ γεωπονοίᾳ πολλοὶ μεθ' ἐποῦνι μελιχλαί,
 θάλασσαν ναυπλίαν πολύμοχθον ἐπεντυόουσι,
 ὅσκι' ἐπὶ τὰς ἰχθῆς βίβλωσ μὲν χερσὶν ἔχοντες,
 μὴ δ' ἴσθ' ἀλιον κάλαμος, καὶ βίβλωσ ἔχέτλα,
 μὴ λιλῶ μελέεσσι σὺν ἀδύλογοισιν ὄλων·
 ὡς ἄμα φλημίγω βελγῶν στωπάλεσ μοῖσα.
 αἰάζω φλημίγον, ἐπαϊάζεσσι δὲ μοῖσαι.
 αἰ αἰ μοῖραι κακά, πᾶ τὸ φρένας ὑπεπέτασαι,
 σὸς κλωστήρ ἡμῶσ φυδῶ, δὴ ἐν δῖος εἶχε.
 πρὶν μὲν δὴ σέεσσι ζώσκον ἐπὶ χθονὶ δηρῶν
 νόσφι πόνω, τὸ εἰράνδον αἰτῖνακτον ἔχοντες,
 καὶ τοῖσ δυσεέεσσι μινωθᾶδι σὺ πέλει αἰών.
 μὴ τὰ δ' ὅσ' ἀλλὰ γήμονσ βροτῶν πανάρεσον ἐπεφρες
 φλημίγον, συγερῶ πρὶν γήρα σὺ εἶδον ἐπενθεῖν·
 καὶ σὺ δαμοβόροι, σὺ χειροδίησ βασιλῆσ,
 καὶ ἐδησμανεῖσ ὄρησ αἰλέμασί τε,
 καὶ ψδῶσσι ζώσκον πολὺ χρόνον ἐκτῶσ ἀλγυδῶσ.
 αἰάζω φλημίγον, ἐπαϊάζεσσι δὲ μοῖσαι.
 ἀλλὰ με δρακρυχέοντα παρήγορος ἐλπὶς ἐγείρει,
 ὅτι κασίγνασ, φύησ εἰ ἀπανήνασ τέκνα
 φλημίγω, τῶν μοίρασ ἔργω τε λόγῳ τε
 κλαρονόμος κλεάτων ἢ πῖσι σὺ ἄμμι λέλειπται.
 τῶν ἰδῶν δροκέω αὐτῶν φλημίγον ἰδέασ·
 ζώσ ἐπὶ γῆσ φλημίγω πειθερῶσ ἐδῶσ
 ἐν χαρίτων ἔρῶσ πεπλάσμιδον, εἰσ ἀκρον αἰδύσ,
 γῆσ σὺ ὁ μὲν μοῖσαισ φίλσ ἐξοχ' ἐωσανίδεασι,
 γῆσ σὺ αἰοιδῶσ ἀγῆσ σὺ αἰοιδόπολῶσ μὲν ὀφέλλων.

Idem Latine redditum.

IOAN. FLEMINGI EPITAPHIUM.

Desleo Flemingum, Musis lacrymantibus heu, heu.
 Flemingus cecidit, quem Musæ sæpe requirunt,
 Quem Charites viuum, quem comtus amauit Apollo.
 Desleo Flemingum, Musis lacrymantibus heu, heu.
 Nox erat, & dulcis carpebant munera somni
 Stertententes famuli, nec erat faber vllus in vrbe
 Excitus fratris, omni cùm casta pudore
 Venit odoratum pulsans mors atra cubile,
 In quo Flemingus coniuxque iacebat honesta,
 Et iaculo emissis vitalia stamina rupit.

Desleo

Desleo Flemingum, Musis lacrymantibus heu, heu.
 Vxor at vt subita sublatum morte maritum
 Vidit, ait, Coniux oculis mihi carior, vnà
 Ocyus aufugiam nunc te fugiente sub vmbras;
 Nec volo, nec cupio sine te supereffe marito;
 Hei mihi quòd memet redimi moriente nequires;
 Hei mihi nemo potest crudelia vertere fata.
 Desleo Flemingum, Musis lacrymantibus heu, heu.
 Est locus egregia Flemingi nobilis arce
 Nomine Vinnegetum, celeberrimus vberè glebæ,
 Mercurij procul haud fano, quà cuncta quotannis
 Alma Ceres largis granaria frugibus implet.
 Sæpe ibi Hamadryades vicini in limite saltus
 Flemingo faciles viuo duxere choreas;
 Sæpe illi acciuit cithara philomela canenti,
 Placauitque animi vario modulamine curas.
 Nunc & Hamadryades siluæ loca opaca relinquunt,
 Et querulæ gemitu volucres torquentur acerbo,
 Flemingumque dolent inopina morte peremtum.
 Ver erat æternum, flores, violæque, rosæque,
 Lilia nec mediæ deerant ibi tempore brumæ;
 Nunc & honos horti florumque emarcuit omnis,
 Nunc perit arx, dominus quòd sæuis occubat vmbris.
 Desleo Flemingum, Musis lacrymantibus heu, heu.
 Vrbs dolet amissum, quo non præstantior alter,
 Insignem virtute virum, & prædiuite censu.
 Integer vnus erat vitæ, sine fraude dolisque;
 Veridicus sermo illius, ceu iure fuisset
 Iurando firmatus, erat. Nec in ædibus auri
 Indica ceu formica, suos condebat acruos.
 Haud quicquam, certa fuerat si lege rogatus,
 Ipse negare solet (neque cuncta peruntur honestè).
 Multa aliis, sed plura dabat sibi sanguine iunctis.
 Præsentès hilari vultu tractabat amicos,
 Attamen vt cuiuis, cùm vellet, abire liceret.
 Desleo Flemingum, Musis lacrymantibus heu, heu.
 Esuriunt vates, quorum patronus & altor,
 Dum vixit, Flemingus erat, materque patérque.
 Nullus ad illius veniebat limina vates
 Carmina vel cantans turba comitante fororum,
 Vel quid habens libri, quem numquam viderat antè,
 Qui semel infecta re discedebat: at omnes
 Et mensa & verbis mulcere studebat amicis,
 Nec dimittebat magno sine munere quemquam.
 En factum agricolam, qui floruit antè poëta,
 Ecce alius ponto nunc nauita viuít & aura,

Bb 4 In ma-

In manibus nunc neuter habet sua gaudia libros,
 Alter habet clauum calamum, librum alter aratrum,
 Ni cum sua uiloquis malit periisse Camenis.
 Sic cum Flemingo Belgarum Musa sepulta est.
 Desleo Flemingum, Musis lacrymantibus heu, heu.
 Hei mihi parca ferox, quæ te dementia cepit?
 Mutarunt manuum naturam fila tuarum.
 Namque piis Iouis imperio vita esse solebat
 Longior & melior, peior breuior que profanis.
 Hæc versa est series. Nulli pietate secundus
 Haud potuit limen Flemingus adire senectæ:
 Sed sine iure duces, populi qui sanguine gaudent,
 Et saltatores speciosa veste superbi,
 Mendacésque diu sine sollicitudine viuunt.
 Desleo Flemingum, Musis lacrymantibus heu, heu.
 Sed bona lugentem me spes sustentat alitque.
 Nam cum Flemingo prolem natura negarit,
 Huic animo & virtute pari succedere fratrem
 Heredem video, cui sunt quoque carmina curæ,
 Quem quando intueor, Flemingi occurrit imago.
 Et superest Schetus, Flemingi qui focer, illud
 Dulce decus Charitum, qui nobilis Hælide Musa,
 Schetus, Eobani qui portus & aura Camenis.
 Schetus amat vates vatium doctissimus omnes.

ALIVD EIVSDEM.

VND E tot Aoniis è vallibus audio questus?
 Quid Charitum lacrymis ora rigata nitent?
 Fata repentinæ rapuerunt inuida mortis
 Pierij columen præsidiumque chori.
 Quis fuerit dubitas? Flemingi est nobile nomen,
 Qui carus Phæbo Mercurioque fuit.
 Diuitiis clarus, sed clarior arte fruendi,
 Vatum Mæcenas, ipse poëta bonus.
 Eximiè coluit recti sibi conscius omnes
 Officiis homines, & pietate Deum.
 Ergo quid hunc mæstitantum lugetis amici,
 Cui nunc in cælo est certa parata quies?

EIVSDEM FLEMINGI EPITAPHIVM,

AVCTORE IO. LATOMO.

Hoc quis sub tumulo cubet, viator,
 Huc illuc oculos agens, requiris
 Qui te rem doceat. docebo. Quis tu?
 Qui tecum loquor, umbra. Quæ? Poëta.
 Vbi? Post tabulam. Quid ergo dicis?

Hoc

Hoc quod tu loqueris. Quod illud? Ipsum
 Quod nescis. maneat inepte, necdum
 Scis quod nescieras. FLEMINGVS ille,
 Omnes quem poterant amare prauis,
 Omnes debuerant amare sani,
 Hic iacet. nihil addo. Nec necesse,
 Nouit cetera mundus vniuersus.

NATHAN CHYTRÆI CARMEN.

INCLYTE Mæcenas, Charitum cultissime donis,

Quem colit, vt fidum Musica turba patrem:

Forſitan vnde tuas & cur mittantur ad ædes

Ignota dubitas carmina scripta manu?

Illa peregrinis veniens Chytræus ab oris

Mittit, vt inde tibi notior esse queat.

Scilicet es facie non illi notus & ore,

Notus at eloquio iudicioque tuo.

Tantum enim splendor laudum est vitæ magne tuarum,

Tanta est ingenij gratia visque tui,

Longinquis vt te multi mirentur in oris,

Et iungant spatio se propiore tibi.

In quorum numero non me postrema tenere,

Testis erit Musis iunctus Apollo suis.

Te præsens reuerenter amo, te longius absens

Suspicio, tantum deueneror que virum.

Et cum certa tui mihi sint data signa fauoris,

Carmina nostra tibi dum placuisse referis:

Gratulor ipse mihi, te laudatore triumphans,

Laudatos inter qui loca prima tenes.

Dedecus esse puto, si quem plebs inscia laudet,

Gloria sed tanto vera placere viro est.

Nec tamen vsque adeo metas excedo pudoris,

Non adeo nobis carmina nostra placent.

Bissex Fastorum libros absoluius annis

Quatuor, & pars est, vt puto, visa tibi.

Imperfecta tamen sunt cuncta, indignaque doctis

Auribus, aut tali qualis es ipse viro.

Sed si certa meis concesserit otia Musis,

Qui sedet ætheria rector in arce Deus:

Forſitan illa magis quæ iam placere placebunt,

Cum fuerint lima cuncta polita graui.

Magne vir & Claræ nitidissima stella cohortis,

Mæcenas doctis præsidiumque viris,

Si vacat exiguum tenui dare tempus amico,

Commenda egregiis meque librosque viris.

Pollici-

Pollicitusque meo velut es prius ipse sodali,
 Patronus studiis esto paterque meis.
 Vt tenui mea subsidio releuata crumena,
 Gallorum doctas possit adire scholas.
 Fallor an ipse Deus, per te mea cœpta iuuare,
 Et vult propositam continuare viam.
 Musarum imbellis chorus est, vt pingitur, & qui
 Possideat certas non ita semper opes.
 Hinc tutore illis opus est, certisque patronis,
 Excitat in certis quos Deus ipse locis.
 Quos Deus ipse opibus cœlesti munere donat,
 Vt studia & Musas cœptaque pulchra iuuent.
 Quoque iuuant plures, hoc illis plura rependit,
 Fœnora id, à summo ferre, soluta, Deo est.
 Hic quæ pauperibus vel Musis dantur egenis,
 Illa sibi rursus perfolianda putat.
 Nec raro sortem crescentia fœnora vincunt,
 Durat & in seros res ita parta dies.
 Sed cum nota mihi tua sit vir magne voluntas,
 Pluribus hic verbis non opus esse reor.
 Viue valèque diu cara, cum coniuge saluus,
 Responsumque mihi, si placet, ede breui.

A D F L A M I N G V M.

Siquis appellet monitor poëtam,
 Quo suum nomen trahat è tabellis
 Crediti, versus dabit in solutum
 Promptius auro.
 Attamen fretus gemini fauore
 Numinis, Ditis puta Apollinisque,
 Pro meis Vates cupio reponat
 Versibus aurum.
 Suadet hoc Phœbus toties ad Idus
 Vectus, vt lunæ superent renatæ
 Quas Aquisgrani merui coronas
 Patre medendo.
 Nec feret Plutus malè, si coæquent
 Aurei menses toties reuectos,
 Vt sit ad Iani fora terna triplex
 Fœnus in annum,
 Quod moram penset diuturniorem,
 Quodque non merces, sed hōnor sit artis,
 Artis illius cui præfidere
 Gaudet Apollo.

Mille

Mille vix seclis simili catena
 Plutus & Phœbus coiere vincti:
 Fata Flemingi sociant vt ambos
 Fœdere diuos.
 Quisquis ex astris bona mentis atque
 Corporis, nec non quod ab Antiate
 Poscitur diua, vel ab Herculano
 Numine duxit,
 Ille ni dextrum genium secutus
 Promouet Musas ope liberali,
 Sisypho fiet Danaïque proli
 Seruus in Orco.
 Proprium non est, quod habes, opum te
 Distributorem superi locarunt:
 Vt sit accepti ratioque pensi
 Iusta ferenda.
 Hinc vt ad nostram rogo cantionem
 Lesbiam ducas facilis choream,
 Vatis vt vates videre plectro
 Ritè moueri.

Tuum I. G. B. ex tempore.

CL. MO VIRO ET HVMANISS. GENERO-
 S I S S. QVE IOANNI FLEMINGO, DOMINO
 SVO ET PATRONO.

Acrostichis.

I G N I S. vt abscondi nequit, in tenebrisque teneri
 O ccultus, latè splendor quin emicet inde,
 A tq̄ue iubar partes de se diffundat in omnes:
 N ec doctrina latere potest, generosaque virtus,
 N on candor niueus, nec rara modestia, queis tu
 E xcellis reliquos, fugientia Phœbus vt astra.
 S int, quibus extollant animos, natalium origo,
 F ortunæque faces, vel opum numerosus aceruus,
 (L ubrica sors quæ cuncta tibi tamen addidit vni)
 E ffer munitum bene Pallados ægide pectus,
 M usarumque opibus farctum: deprime beatos
 I ngenij fetus, vena locuplete reponens:
 N aturamque ducem colito. sic viuuda tollet
 G loria te genio semper comitata perenni:
 V irtutesque tuas, doctrinæque ardua dona
 S acclis narrabit, vel me auspice vate, futuris.

Tui nominis studiosiss. deuotiss. q̄.

H. I. Med. & Histor.

FLE-

FLEMING. Videte quanta sit pomarij nostri benignitas, quanta malorum pyrorumque diuersitas, quàm fecundus hic nobis sit autumnus, quàm benignè fauerit Pomona: vellem Goropius nomina singulorum vnà cum facultatibus explicaret, quo & valetudinis ratio in eorum esu haberetur, & posthac Latine de iis differere possemus. GOROP. Scilicet ego vel medicum me inter homines optimè valentes praestabo, vel poëtas docebo, quinam Latine sit de omni pomorum genere loquendum; quoru tanta est varietas ex insitiohibus infinitis nata, vt si vel ipse Plinius redeat, vix pauca aliqua sit agnitus. FALK. Apud alios, cum voles, de facultatibus disputabis, & delicatissimū quodque pomum insaluberrimum dices; vt aliis deterritis, eo solus vescaris: hoc tempore quoniam & ipsa poma, & ipse hospes in hunc sermonē nos trahere videtur; maiorem in modum ea audire cupio quæ vel nudius tertius vel nudius quartus te dicebas de Vertumno Pomonæ marito in Hermathena tua annotasse: quibus non me modò, sed Flemingum etiam plurimum tibi obligabis: praesertim si Propertij Elegiam Vertumno dedicatam vna opera illustraueris. GOROP. Quin tu Falkenburge potius nobis de Aganippe tua depromis, quæ pyra super pyris in Alcinoi hortis creuerint, & quæ poma fuerint de quibus Poëta cecinit,

Aurea mala decem misi, cras altera mittam. Et rursus:
Malo me Galatea peti lasciuia puella.

Tum etiam quod pomum fuerit quod Paris Veneri adiudicauit. FALK. Immò hoc ipsum etiam abs te discere auemus, vt pro Flemingo etiam respondeam; cum id longè tibi, quàm mihi, sit facilius: vel quia poësim cum philosophiæ studiis semper coniunxeris, vel quia Morlionum habueris magistrum, singularem tum naturæ secretorum, tum antiquitatis remotioris thesaurum. GOROP. Vtinam Morlionus arcana illa quorum erat omnium peritissimus, mihi tam candidè reuelasset, quàm vehementer ad eorum cognitionē inflammat, sed vt erat ingenio Silenico, prius fuisset validis vinculis constringendus, quàm quicquam mysteriorum aperiret: quod opus sanè longè maiores vires postulasset, quàm vt ego vel tentare auderem. Ceterum quam ille viam in facris antiquitatis symbolis enucleandis sit ingressus, licet non omninò sciam; tantum tamen ex diuturno conuictu subodoratus sum, vt intelligerem, non eandem me tenere: atque idcirco in Vortumni fabula, de qua tribus retrò diebus tibi sum locutus, non Morlionem, sed Hermathenæ meæ sequor ductum: illi tamen libenter laturus acceptum, quod me ad hæc studia æmulatione quadam Hesiodica excitarit. Quando igitur vobis ita visum est, vt Propertij carmen exponam: agite, postquam exempra famæ & amor compressus edendi, hinc discedamus ad ipsum pomarium, vt ipsa Pomona de marito suo locuturo veritatem inspiret. FLEMING. Bene mones Goropi. Abeamus itaque ad Xystum illam quam totam videtis pampinis & vuis umbrosam; vt non Pomonam tantum, sed Bacchum etiam habeamus benignum, citra cuius opem nulla carmina vel feliciter fiunt, vel feliciter explicantur. GOROP. Tantum profectò hinc vitium cerno, vt locus ditionis tuæ nomini optimè respondeat. Quid enim aliud est Wininghemum, quàm domicilium eius qui vini est amator. Verum quia & hodie satis ambulauit, & modò præns exercitatio minimè est utilis; sedeamus in lætissima hac umbra, & quidem longè commodius & proposito nostro aptius, quàm sub illa Academicis celeberrima platano; eo quòd & Bacchi munera capitibus nostris impendunt ipsam deum nobis conciliabunt, cuius numen poëtis dicis præsidere; & si diutius loquendo fauces reddantur sicciore, in promptu erit vuarum copia, quarum nectare liceat aridum guttur irrigare. Iube igitur, Fleminge, vt puer quispiam Propertium è bibliotheca tua adferat nobis, vt si memoria nos fallat, liber succurrat.

FLEMING. Ocyus puer Tibullum, Catullum, Propertium apporta vnà cum Mureti annotationibus, & vnà adfer Annij Viterbiensis commentaria; vt videamus quid Goropius & Annij in Propertio exponendo sint consensuri. GOROP. Rectè dicis Fleminge, eundem ego scriptorem poposcissem, si putassem eius tibi nugæ tanti esse, vt inter libros tuos haberes: verum nullus ferè tam malus est auctor, vt nullam adferat utilitatem. Si non aliud adferat adiumentum, hoc saltem præstabit, vt quam in Propertio lectionem sit secutus, cognoscamus. FLEMING. Quantum Annio sit tribuendum, de Croniis tuis didici, non citra maximam admirationem, quinam factum sit, vt tam

tam fallax scriptor tam multos habuerit lectores; qua in re perspexi quàm supina negligentia, quàmque exiguo iudicio quidam aliorum scripta & legant & sequantur. Sed en tibi libros. GOROP. Volucres mihi pueros videtis habere, ita velociter hic recurrit. Exordiamur ergo, verum citra illa prolegomena, quis & cuius fuerit Propertius, quibus parentibus natus, quo tempore scripserit, quem locum inter poëtas mereatur, an hic eius germanus sit fetus, & id genus reliqua; quæ vt totum aliquem auctorem exponentibus conueniunt, ita minimè eum decent qui vnum dumtaxat carmen paucis versibus contentum interpretatur. FALK. Nollem tamen te celare, quid de patriæ eius & nominis antiquitate arbitreris, quandoquidè ipse Vmbrum se fateatur; & Plinius & Marcus Antonius hæc gentem omnium antiquissimam dicant, & his antiquior & grauior auctor Bocchus scribat veterum Gallorum propaginem esse; cum tu non semel mihi dixeris, & ni fallor, etiam scripseris, Cimmerios esse in Italia vetustissimos colonos. GOROP. Cimmerij si-
Quò, bone vir, me auocas? Si hac via & ratione de singulis mihi differendū esset, quæ-
hntus poëta occasione in dubiū vocari possent, quòrandè sine concluderè orationem?

FALK. Non est abs re quod te rogo, nec citra maximam causam hanc moueo quaestionem; propterea quòd in hoc Propertij carmine insignia sunt Romanæ antiquitatis monumenta; & in iis explicandis non dubito quin sis Cimmeriorum linguam ad nomen originis prolaturus; quoniam eam primam in Italia fuisse, si rectè memini, mihi sæpius asseueraris: quòd nescio an queat iis consentire quæ de Vmbris feruntur, nisi eosdem Vmbros & Cimbrōs esse dicas. GOROP. Non malè colligis, Falkenburge. Idem sanè homines diuersis his nominibus significatur. Cimmerij quidem à Comero siue Cimero Iapeti filio maximo natu, à quo & Cimbrī, vt in Croniis à me est annotatum. Hinc Græci totam Italiam, vel Hesperiam, quòd ipsis ad Hesperum iaceret; vel Ausoniam, quòd à Cimero teneretur, vocarunt: eo quòd hic Auson, id est Cimmeriorū lingua, filius senior, siue maximus natu inter Iapeti liberos fuisset: vt enim prorsus ridiculum est, Baiis à Baio Vlyssis socio nomen mutuari, cum hac Cimbrica voce & olim & nunc etiam balnea, quibus hic locus maximè scatet, vocentur; ita non in inanis vanitatis fuit, Ausonem nescio quem Vlyssis ex Calypso filium comminisci, quo gentis nomen referretur: quia nemo queat negare, hoc nomine Cimmerum merito dici, quia Iani filiorum maximus natu fuisset. Auson ergo Cimber fuit ipsi Iapeto, haud secus ac Cimero Afcanius, qui & ipse eadem de causa Auson siue Auson, præposito articulo, est vocatus; qua ex voce Theutonum nomen est corruptum. Qua verò de causa iidem à posteris Vmbri sint vocati, Plinius exposuit, nomen à Græca voce ὄμβρος deriuans, quòd nimirum à pluuiis cataclysmi seruati fuissent. Verum gentis antiquitas vix admittit, vt peregrinum nomen quaeratur, eo minus quòd Halicarnassæus testetur à Græcis hanc regionem Ausoniam & Hesperiam dictam fuisse: deinde etiam hoc doceat, Vmbros ante Pelasgorum in Italiam aduentum & nobiles fuisse, & multas vrbes habitasse, tantum abest, vt nomen ipsorum vel Pelasgis vel aliis Græcis debeatur. Quòd si velimus, à diluuiō sibi nomen Vmbros dedisse, quo eius perpetua apud posteros memoria homines à giganteis vitis deterreret: originem non à Græcis petemus, sed ab ipsis Cimbris, apud quos Cimber significat tempestates & procellosas pluuias; à qua voce Græci quoque suum ὄμβρος traxerunt, quamuis eo pro pluuiis dumtaxat vtantur. Amplius cogita de Ombros & Imber, an fortè ab eem, vnde emer. Duplex autè digama Cimbrorū proprium, aliàs omittitur, aliàs in litteras transit vicinas, & frequenter quidè in Beta, vt hoc loco in ὄμβρος & Vmber, in quibus ὄ in μ mutatū videmus, & apud Latinos quintā vocalē pro quarta locari. Si quis maiore huius mutationis causam quaeret, in promptu erit dicere, Vmbros pro Cumbris esse dictos, ad Comerum nomenclatura alludentem, in qua Cappa fuerit ademptum, ne idem nomen cum latronibus nobilissima gens habere videretur. Cum enim peruersa consuetudo pro Gomeris Cumbrōs diceret, atq. Cumbr apud ipsos is vocaretur qui molestiam & damnum adfert, quod Festus quoque testatur, nomen sic commutarunt, vt & ab hac infamia declinaret, & præterea ad diluuij memoriam alluderet, non solum de Græcorum lingua, sed de sua etiam ipsorum origine petita. Gomer igitur, quo bonæ famæ homo notatur, corruptè Comer & Comber dictus est, quo è vocum allusione conuicium genti impingeretur, quæ ceteroquin & antiquissima esset, & primæ nobilitatis, & ab ipsa bona fama in lingua sua ferens appellationem; tamen si apud Hebræos perfectum notet, quod non longè à bona
C c fama

fama est remotum. Nunc itaque obiter dictum sit, Cimmericos, cum quibus Cimbri iidem sunt, alio nomine Ausones, alio Umbros fuisse nuncupatos, apud quos vetustissimam linguam, qua haecenus Cimbri utuntur, viguisse, non video qui negari possit. Quod autem Umbri genus ab antiquis Gallis duxisse dicantur, id verum quidem, sed non ita, quasi è Gallia trans Alpibus sita in Italiam peruenerint; sed quod veterum Gallorum qui cum Iano appulerunt, fuerint coloni, ut in Gallicis trado.

F A L K E N. Optarem, ut quæ de Gallorum & Romanorum Ogygia antiquitate in aduersariis habes, toti Reipub. communicares: ceterum posteaquam id vel negotia tua, vel temporis iniquitas, vel frigida erga litteratos principum corda videntur impedire, saltem hoc nobis ex iis modò depromere, qua causa Vmbros parentes Galli sint vocati, & an hoc nomē in Europa prius, an in Phrygia fuerit inuentum, cum in Asia etiam Cybeles sacerdotēs Galli fuerint vocati, à quibus & fluuio Gallo nomen datum videtur. G O R O P. Video quid agas: vis me à Propertio ad Vmbros, ab Vmbri ad Gallos, & ab his ad Cimmericas tenebras abire. Minus certè is peccet, qui Troianum bellum à Ledæis ovis exordiat. F A L K E N. Fateor equidem hæc paullo esse remotiora ab eo quod nunc tibi agendum proposuimus: sed quandoquidem Umbros longè clarius quàm quisquam antehac cogitavit, depinxisti, vehementer te oro, ne graueris hunc scrupulum mihi amouere, quem ipse veterum Gallorum mentione iniicisti. Quos enim mihi Gallos somniare possum ipsi Vmbri in Italia vetustissimis vetustiores, nisi extra Italiam eos quæram? Et nescio quid mens mihi præfagit de hoc nomine abs te dictum iri, quod perinde ceteros lateat atque illud quod modò ex Mercurio tuo & Palade docuisti. G O R O P. Plus profectò sarcinæ imponis, quàm ipsemet existimes; ita ut nihil mihi sit, si tardius iter institutum absoluero: & vereor ne hæc dies sit longa sit futura carmini huic Propertiano explicando, si recto sermonis nostri cursui eiusmodi remoras crebrius obicias. Ceterum quoniam non Tyrannorum modò preces, ad amicorum etiam, assentiendi necessitatem adferunt, non repugnabo voluntati tuæ, maxime si Flemingo hæc mora non displicebit. F L E M I N G. Nihil mihi prolixum erit, quod quidem ad ignotas eiusmodi gentium origines nouæ & haecenus non visæ lucis adferet: nec habemus modò necesse, sic vni adhærere proposito, ut non liceat ab eo quopiam euagari, maxime si quid inuiter ad ea cognoscenda, quæ vel ad clariorem Propertiani carminis faciunt intelligentiam, vel ad auctoris patriam & Romanam antiquitatem, cuius hic insignem partem celebrat, illustrandam pertinebunt. G O R O P. Sunt sanè hæc quæ de Vmbros & Gallorum antiquitate quærentur, non profus aliena à Propertij interpretatione: immò si verum fateri volo, non possem eorum quæ dicturus sum, fidem vobis adstruere, nisi antiquissimæ gentis tum origo tum lingua cognosceretur, ut in sermone progressu, nisi me impediatis, liquebit. At qui Galli fuerint, sciri non potest, nisi nomenclaturæ nobis ratio constet, quam Diodorus Siculus retulit ad Galatam, quæ Herculis semine suscepto, Galatem pepererit & gentis & nominis auctorem: alij δὲ τοῦ γάλακτος, id est, à lacte vocem deriuant, atq. hinc Virgilium cecinisse aiunt: *tum lactea colla Auro innectitur*. alij propiores vero à γῆ id est à fluctibus deducunt, eo quod fluctibus superstitēs fuerint, quorū opiniones nihili esse arbitramur, quia prima fabulosa sit, nec cur Galata ita dicta sit, ostēdit: duæ reliquæ vna sponsia delectantur, quod videlicet & nomē ab externa gente Gallis mutuētur, & eas addant rationes, quibus nihil à ceteris hominibus Galli distinguantur. Iosephus Comerios, quos Cimmericos & Cimbros esse dixi, à Græcis, non ab Hebræis, Galatas vocari scribit: quo clarè demonstrat, vanos eos esse, qui nomē Hebrææ origini adscribunt. In Atuatibus absurditatē eorū notauit, qui propria nationū vocabula ad peregrinas rationes ablegat, à qua vos longè abesse scio. Quo tamē & Gallorū nomē, & Vortumni, & non pauca alia ad suos fontes deducam; necessariò mihi quædam principia ex Hermathena mea promentur, quæ qui mihi non concedet, cum eo frustra sim de primis vocū natalibus disputaturus. Postulo itaque in primis hoc mihi dari; vocabulum duabus aut pluribus linguis commune, primogenio iure ad illam esse referendum, in qua ratio eius optima inuenitur. F A L K E N. Nemo sanè hoc tibi negabit, nisi omnem etymologiam tollat. G O R O P. Deinde si qua lingua propriam quandam & peculiarem in vocibus formandis rationem habeat, & nomen aliquod ipsi cum aliis commune ad hanc fabricatum esse cernatur, tum esse pronuntiandum, nomen hoc ab ea ad aliam transiisse. F L E M I N G. Ne hoc quidem

quidem vel ego, vel Falkenburgus, vel alius etiam quisquam in dubium vocabit.

G O R O P. Scitote igitur admirandam quandam linguæ nostræ esse proprietatem in eo constitutam, quod primus eius architectus quædam voces ea arte fecerit, ut conuersæ & retro pronuntiatæ aliquid notent, quod magnum momentum adferat ad id cognoscendum, quod recto siue prorsò litterarum ordine significabatur: qua in re tali vsus est iudicio, ut aliquando verba vox prorsè sit contraria, tum nimirum cum contrarij collatione quicquam clarius elucescit: aliquando non sit verba vox prorsè contraria, sed sic connexa, ut eius notatio plus ponderis habeat, quàm comparatio contrariorum. Non addam nunc illud, quod solius nostræ linguæ proprium est, omnes primas vocum radices vna dumtaxat syllaba constare: eo quod faber eius, ipsam rerum naturam quàm posset proximè sequendo, frustra pluribus fieri putarit, quod æquè commodè paucioribus posset absolui: & præterea nihil crediderit vel tempore pretiosius, vel molestius orationis prolixitate, apud homines præsertim volucris ingenij celeritate pollentes. Quod si hoc & ipsi naturæ, & præstantissimis animis est conuenientissimum; qui negari poterit, perfectionem hanc non solum maximam esse, verum talem etiam, ut de ea colligi possit, eam linguam, quæ hanc habeat, ad diuiniorem architectum esse referendam; & consequenter eam ceteris, quas hac laude vincit, esse ut natura, ita tempore quoque priorem: quandoquidem omnium cum poetarum tum Philosophorum confessione constat, tanto vnquamque rom ortus habere vetustiores, quanto propius naturæ principiis consentit.

N V N C itaque videndum an Galatarum & Gallorum nomen possit ad Cimmericam rationem vocari, posteaquam Iosephi testificatione clarum sit, Galatas Cimmericos esse; minimè verò omnes eos qui fluctibus superstitēs fuissent. Equum enim est Cimmericæ genti Cimbricam assignare nomenclaturam, quod si fiat, minus absurdum videbitur, quod Vmbros quoque ad eandem originem & genus & nomen referre dixi. Quamuis autem Galli & Galatæ nomine non nihil differant, significationis tamen vi nullam gentis inducunt diuersitatem. Galli enim alacres, & placidi, & grati omnibus populi à Cimbris vocantur. Galatæ verò ij, qui vultum omnemque gestum alacrem habent, & omnibus gratum. Quia verò vtraque dictio composita est, & prior compositionis pars vtrique communis, eam antè aperiemus, quàm ad posteriores partes accedamus. Gai monosyllabicòs, ut duæ vocales in diphthongum coeant, id nobis significat, quod sic placet, ut id nobiscum esse cupiamus: à qua voce Latini Gaius retinuerunt, terminatione sermoni suo propria adiecta: Franci haecenus Gai pro alacri & hilari dicunt, eo quod genti huic alacritas & hilaritas gratissima sint. Nos Gai dicimus, pro eo quod Latinus diceret, ita placet, ut id mihi contingere velim, vel id mihi contingere gratum esset: Vnde Latini Gaudeo fecerunt. Gai itaque nostras esse siue Cimbricum, tum ex etymologia, tum ex analogia sermone nostro peculiari demonstrabo. Gai idem nobis est quod eo, ex natura litteræ G, qua docui in Hermathena perfectionem denotari; & A vocalis, quæ significat, dum sola profertur, motum ad locum. Ipsius igitur mobilis ad locum, ut tale est, cum nulla alia sit perfectio, quàm ipse motus ad locum; merito Gai nobis erit id quod Latinus diceret, ad locum moueor, siue eo: in qua verbi fabrica videre est, quàm rectè motus apud Aristotelem definitio sit ipsi elementorum pigmentis expressa. Quia tamen G & I consonans magnam habent soni vicinitatē, multi G in I mutarunt, ut factum est in Ipa particula sermonis affirmante, quasi diceretur, progredere in loquendo, quod eius est, qui dictis assentitur: item in Ianus, qui ab eundo, Cicerone recte, dictus est, ut in Becceselanis annotauit. Non mirum igitur Iημ apud Græcos dici; quod Grammaticè docet à Iω fieri, in quo Iota pro Gamma positum videmus, quod ita esse, etymologici Græci scriptor facile admittet, qui Gigantem à γῶ, quod γῶρδ interpretatur, dici posse scripsit. A Gai fit Gai / qua diphthongo magna eundi ad aliquid causa explicatur, cum id Gai nominetur, quod dignum iudicatur ut sit adeundum. Omnium enim animi ad ea quæ placent, recta contendunt, idque tam volucris & subtili velocitate, ut eius notio nullo alio elemento, quàm exilissimo Iota melius exprimi possit. Cum ergo Gai & Gaius Latinis & nobis commune sit; nobis eius origo tantisper debebitur, dum meliorem ipsi, quàm nos, significationis causam adducent, ut ad primum nostrum consequitur postulatum. Deinde est & altera nota

Cimbrica lingua admiranda proprietates in vocibus ichuata.

Cimbricam vocum radices prima omnes vna dumtaxat syllaba constans.

Galli.

Galata.

Gai.

Gaius.

Gai.

Gaudeo, es

era.

Gai.

Ipa.

Ianus unde dicitur.

Gai.

clarissima, quæ ex secundo axioma meo sumpta, hoc vocabulū nostras esse conuincit. Sic enim factū est, vt verbum, cōtrarium eius significet quod prorsum denotabat: quoniam *Cai* illud sit quod nobis adesse velimus; *Fag* verò idem sit quod expello, vel hostiliter persequor. Quamobrem sic vobis statuendum, vt vel quæ antè mihi dedistis, ea nunc negetis; vel concedatis vocem *Cai* à nobis ad Latinos, non ab his ad nos venisse.

Caius. **FALKEN.** Scio equidem Caius per tertiam Latinorum litteram scriptum prænomen Romanis esse, & à Grammaticis annotatum, tertiam hęc litteram per septimam Latinorum pronunciari: iam & illud, à gaudio hoc nomen derivari, ita vt qui cum gaudio editus sit, hoc prænominē dignus censeatur. **GOROP.** Mea nihil refert, malè ne an bene Latini sua scribant: id refert quo sono vocabulum, de quo queritur, efferant: nec magni id facio quod Caius à gaudio deriuent; cum ne huius quidem rationem vllam de Latino sermone adferre possint, & gaudium potius à Gaio, quàm hoc ab illo fluxisse videatur. Nostros certè à Romanis hanc vocem minimè accepisse, si non ex illis quæ dixi liqueret, at saltem hinc colligeretur, quod antè communis vocis huius vsus apud Romanos perierit, quàm in Galliam armis suis penetrarunt. Iam inde enim ab antiquissima Latinorum memoria quæ quidem litteris prodita sit, nemo Caij nomen vsurpauit, præterquam in prænominē, & nuptialibus sacris: cum interim apud nos ab omniæuo vernacula loquendi consuetudine, *Cai/gait/gain/gaing/* & multa ab eadem radice exorta fuisse videamus. **FALKEN.** Non habeo quo contrā nitā: sed vt verba illa in prisco nuptiarum ritu posita quorum modò meministi, enuclees, eo magis rogo, quo minus clarè solide quæ à iuris antiquitatum quæ professoribus exponuntur.

GOROP. Obrues tandem me rogando: quo quidem grauis non esses, si tantundem mihi pro huius vocis vindiciis solueres, quantum Alciati & Socini pro tricofa scrutariæ alicuius litis consultatione solent postulare. Verùm vt nihil aliud persoluas, satis magna mercedis loco ducam, si fatearis, iuris tui sacerdotes hac parte rituum vetustorum imperitiores videri, quàm eum qui per totam ætatem arterias & matulas habuit magistras.

Caius. Quintilianus primo Oratoriarum institutionum libro sic habet, nisi memoria me fallat: Quid quæ scribuntur aliter quàm enunciantur? Nam & Caius C littera notatur, quæ inuenta mulierem declarat: quia tam Caias esse vocitatas, quàm Caios, etiam ex nuptialibus sacris apparet. Sed quoniam quibus in verbis id apparuerit, non adiecit, Plutarchum Latinarum Græcarum quæ opum principem consulamus, qui se Romanis egregium præstitit mystagogum. Hic quærit, quæ causa fuerit, vt ij qui sponsam introducebant, dicere iuberent, *δπου ου γαίος, εγώ γαίος*, id est, vbi tu Caius, ego Caius: quo loco Gaius rectè scripsit per Gamma: & de causa antiquissimi huius ritus ita coniecturam fecit, vt Caius & Caiam communiter pro quouis coniugum pari poni credat, non aliter atque apud Iurisconsultos Caius, Seius, Lucius & Titius exempli causa pro quolibet dicuntur, ita vt significetur par vtriusque ius in domo futurum; quam sententiam plerique omnes sequuntur. Addit tamen & aliam huius ritus occasionem fortassis fuisse à Caia Cæcilia sumptam, quæ cum optimæ fuerit & laudatissimæ vitæ vxor, boni omnis causa à sponsa potuerit nominari, tamquam se quoque talem fore polliceretur. Sed sit sanè, vt & Caia Cæcilia talis fuerit, & eius nomen faustum omen habuerit: quid inde: an ex hoc nunc liquet vocis huius originatio? Quæro vltèrius vnde Cæcilia Caia sit vocata: & an prius hæc verborum solemnitas non consueuerit concipi; quàm illa se probam matrem familias præstitisset. Equidem sicut vocabulum hoc Cimbricum esse docui, ita ritum quoque à Cimbris ad Romanos venisse contendo, quo fuerit obseruatum, vt sponsa sponso diceret, Si tu, Caius te mihi præstiteris, ego quoque me Caiam præbebo: quo nihil aliud stipulabatur, quàm se omnibus modis vbi quæ laboraturam, vt marito placeret & gratificaretur, ea tamen conditione, vt sponsus naturæ principatum secutus in hoc gratiarum certamine præiret. Sicut enim viri est puellæ amorem ambire, & prius omni officij genere, vt placeat, anniti: ita in connubio eiusdem est perpetuò se placidum, hilarem & iucundum vxori præbere, & exemplo suo demonstrare, qualem sociam & velit & mereatur. Quid quod hæc in sponsalibus eiusdem sententiæ verba proferantur, dum sacerdos & sponsum & sponsam rogar, an placeat ipsis connubio iungi. Iam si simpliciter mea Caia à nostrari dicatur, vxor intelligi-

intelligitur, aut saltem ea quæ vxoris loco habetur: & similiter si qua Caium suum appeller; maritum, aut certè qui mariti officium præstet, intelligit. Nec id in hominibus dumtaxat vsus tenet, sed in brutis etiam animantibus, in quibus *Cai* vel femellam vel masculū vocamus, quod in auibus ferè hypocoristicòs facimus, vt voce diminuentè pro *gai/gaium* dicamus. Hæc si Cicero nouisset, non tam temerè in eos fuisset inuectus qui omnes vxores quæ coëmptiones fecissent, Caias vocabant: illud potius reprehendisset, eas solas quæ coëmptiones fecissent, hoc nomine apud Iurisperitos fuisse nuncupatas; eo quod cuiusvis condicionis vxores Caiæ dici mereantur: tametsi id non negauerim, per excellētiae figuram eas præcipuè tales dici posse quæ coëmptionem fecerint, quod maritum habeant arctius deuinctum. Verùm hæc latius in Gallicis, quæ iam diu in hominum manibus versata fuissent, nisi vetus illud Anaxagoræ ad Periclem dictum verissimum esse hoc tempore experiret, & maximè in illis qui omnia studiorum præsidia latissimè suis fimbriis, veluti plagis quibusdam, occuparunt. **FLEMING.** Quodnam illud est Anaxagoræ dictum? **GOROP.** Dicat Falkenburgius, apud quem scio recentem eius esse memoriam: nec mihi decorum sit apud te illud exponere, quem de minima opera fratri tuo præstita tam senserim liberalem, quales si principes & ceteri opulenti Pluri essent, nullus querimoniarum locus relinqueretur. **FALKENB.** Scio modò quò spectes, ad illud scilicet: Qui lucerna cuiuspiam vti velit, eum debere oleum affundere, ne flama vel contabescat vel extinguatur. **GOROP.** Hoc ipsum indicabam. Sed pergam. Satis modò pro tempore & præsentī occasione docui quid *Gai* no- ter, nec id sine appendice: reliquum est vt ad Gallorum nomen applicetur.

Gomer cum colonos alios aliis faustis nominibus nuncuparet, quosdam suorum *Cai-lie* nominauit; hoc nimirum Deum orans, vt tales eos redderet atque conseruaret quales dicerentur; & vnà perpetuam admonitionem in hoc nomine relinquens, vt quocumq. locorum venirent, semper & sibi inter se, & aliis sese gratiosos, alacres, & hilares præberent; summam tales esse studerent, vt nomine suo digni apud omnes haberentur. Non dubito, quin diuino instinctu hanc dederit appellationem; qua non solum suos videtur ad hanc morum comitatem & iucundos congressus adhortatus; sed hoc etiam prædixisse, Gallos olim eam sibi regionem occupaturos, cuius cælum & totius terræ constitutio talis esset, vt latam hanc & amabilem morum suauitatem & excitare & alere posset. Videte, quæso, & ab omni historiarum antiquitate repetite, quid de moribus Gallorum ex idoneis auctoribus colligatur; an non id, eos semper alacres, hilares, comes, benignos, hospitales ceteris nationibus fuisse? quales etiam num esse vel ipsorum hostes coguntur fateri. Quod autè leues eos & instabiles quidam esse dicant, id inde videtur provenire, quod morum facilitas, & hilaris conuictus, & prompta cum quouis consociatio sæpe malignorum hominum fraudibus & imposturis sese obiciat & exponat. Quanto enim quisque amabilior, facilior, promptior, candidior; tanto magis est obnoxius fallacibus insidiis hominum fraudulentorum. Hinc necessarid consequitur, vt simulac dolos, technas, & perfidiam viri boni senserint; subito irasci cogantur iis quibus, tamquam sui similibus, benignos sese & apertos singulari quadam gratificandi procliuitate præbuerunt. Vnde fit vt candidi & aperti viri inconstantia accusantur, quia non pergunt eos amare, quos improbos & versipelles esse, & aliud in ore, aliud in mente habere, suo periculo iam semel deprehenderunt. Nunc itaq. qui Galli sint, & cur ita dicti, scitis: addam quid Galatæ nomine signetur. Lat. & compositè *gelat* idem est quod vultus, & totius corporis gestus: vnde *gai-lat* eū denotabit qui toto corporis gestu gratiosum sese præstat. **FAL.** Ita te Gratia omnes Gallis conciliant, vt nulla tabula melius, quàm his nominibus, Gallorum ingenia, mores & vsitata totius vitæ ratio depingi possent. Hoc demum est veras vocabulorum rationes assignare: quas eò magis admiror, quod & minimè contorta sint, & sic tamen rerum naturas explicant, vt ex ipsarum intus sinibus nata, non ex hominum arbitratu profecta videantur.

GOROP. Vide sine igitur qui sint Galli illi qui Vmbros procreant?

FALKEN. Video sanè: sed rursus dubito, quare Vmbri ex Cumbris facti sint, & non potius retinuerint vel gentile nomen, vel faustissimam illam Gallorum appellationem. **GOROP.** Non omnium legum ratio apud vestros iuris interpretes reddi solet. Si enim de malis moribus, aut incommodis cauendis, ob quæ bonæ leges latæ olim

fuerunt, historiae nos celant: quae poterit certa earum ratio explicari? Eodem modo variae sunt nominum commutandorum occasiones; quas si vetustas & longa obliuio ex omnibus memoriae tabulis sustulit, quid certi, quae, potest pronuntiar? In hoc igitur genere quaestionum, in quibus nos certa historiae fides deficit, probabiles coniecturas sequamur: & quia nunc docui, Gallos Cimmericos fuisse, & Umbros item Cimmericos, sic existimemus, diuersis Cimmericorum coloniis diuersa fuisse nomina danda, distinctionis causa, in quibus ponendis non casu aut sorte vsi sunt sapientissimi illi nostri maiores, sed consilio prorsus diuino & saepe etiam fatidico; vti modò in Gallorum nomine factum fuisse demonstraui. Primum igitur Cimmerici eos in Phrygiam colonos emisserunt, quos Gallos vocarunt; quorum magna pars in Italiam transmigrans, nomen retinuit. At postquam & hi numero aucti gentem suam diuiderent, illos quidem, quos ad nouas sedes secundum mare Adriaticum, ac deinde ultra Padum emisserant, vetus Gallorum nomen voluerunt seruari; propterea quòd prouiderent, eas ab his regiones occupandas, quibus hoc nomen maximè conueniret. Alteram verò partem, quae in Apennini latebris sedes suas vetustas adhuc tenebat, eo nomine à ceteris distinguerent, quo & vetustiores, seu eorum qui emissi erant, patres significarentur, & simul memoria diluuij retineretur; qua posteri perpetuò monerentur, quanta saeuitia Deus furorem suum in eos effundat, qui à vitiorum & scelerum sordibus nullis minis auocari possunt. Et optimè quidem hoc nomen à procellis & horrida tempestate sumptum in medullio Italiae retentum fuit, vt aequè ad omnes cataclysmi recordatio maneret. Accedebat deinde & illa ratio, quòd eodem nomine exigua soni in vna vocali diuersitate ipsa regionis indoles, quam Umbri à ceteris Gallis relictis tenebant, exprimeretur. Nam **Umbri** si e vt **U** Græcorum vetusto more pronuntiatum sonat, efferatur; idem est quod Latinus diceret, vndique in circuitu defendens. Talis enim Umbria est, vt vndique Apennino satis ab hostium imperu defensa videatur. Sed iam satis de Umbriis, & plusquam satis; quocirca ne quid amplius interpellas. At non malè vertit hæc tua de Umbriis & Gallis curiosa percontatio. Quae enim ex Hermathena mea ad Gallorum nominis interpretationem sumpsi; ea non semel vsui erunt in Propertij carmine enucleando: & verò etiam illud non parum in rem meam faciet; quod ostensum sit, Umbros Gallos esse, & hos esse Cimmericis parentibus ortos, quoniam ex eo liquet, Umbros Cimbrica lingua olim vsos esse. Deinde quia Zenodotus Troezenius Sabinos Umbros esse scripsit, consequitur & illud, Sabinos quoque sermonis sui originem à Cimbris duxisse; quod non de locorum modò vicinitate probabile videtur, sed de multis etiam priscis Sabinorum vocabulis; atque adeò de ipso gentis nomine suo loco docebo. Nunc igitur ad nostrum Umbrum, quem in manibus habemus, quem Muretus Sex. Propertium vocauit, ceteri Sex. Aurelium Propertium, qua in appellatione praenomen notum est ab ordine nascendi, vti & Quintus, fortasse factum. Aurelius, nomen gentile, quamuis ab aura videatur deduci, mea tamè sententia Umbrum est, siue Cimbricum, cum significans, qui ab ipsis suis maioribus nobilitatem ducit, quasi **Umbri** vel dicatur, à quo duplex digamma abiectum, **Aurel** facit. Ab Aurelo igitur quopiam vel Sabino vel Umbro Aurelij descenderunt, perinde atq. à Tullo Tullij: vt enim gens omnis ab vno aliquo propagatur, ita omnia gentilia nomina deriuatorum formam sequuntur. Propertij autem vox elegantissimum significat, si de Umbra lingua interpreteris, in qua **Properte** elegantissimum dicitur; à quo Propertius fieret, sed lenioris soni causa sibilus est eiectus. Quòd si hæc absurda videntur, absurdum item videatur, magnam partem Romanorum à Sabinis originem duxisse; & non rarè vocum suarum rationes Latinos ad Sabinos referre. Deinde liberum vobis est, meliores his vocibus, si possitis, origines assignare. **FALKEN.** Quid alij sint inuenturi, haud scio: ego certè ne quaerere quidem velim meliores. Miror interim Propertio cognomen hoc contigisse, quod elegantissimo ipsius carmini quàm optimè conueniret.

Propertij Vertumnus. **GOROP.** Inscriptionem carminis fabulam Vertumni habemus, in qua id considerandum, fabulas Silenis Alcibiadis similes esse, quia sub falsa narratione, & frequenter absurda, maxima mysteria delitescunt. Ego tamen pro fabula potius signum posuissim, si arbitrato meo carmen inscribendum fuisset; quia nimirum ipsum Vertumni signum Propertius loqui fecerit. Audiamus igitur statuat loquentem:

Galli in Phrygiâ missi coloni à Cimmericis, transmigrarunt in varias sedes.

Umbri.

Sabini.

Sex. Propertius. Aurelium.

Propertius vnde dicitur.

Propertij Vertumnus.

Quid

*Quid mirare meas tot in vno corpore formas:
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Thuscus ego, Thuscis orior; nec pœnitet inter
Prælia Volturnus deseruisse focos.*

Hic primum cenleo de nomine Vertumni differendum; propterea quòd & totum carmen de Vertumno agat, & illud ferè tantum quaerat, quare hic deus vertumnus nominetur. Propertius valde conuenienter argumento quod tractat, in varias sese formas vertit, aliam & aliam nominis causam quaerens; in ea tamen tandem acquiescens, de qua Vertumnus dicatur, quòd sese in omnes formas vertat. Si igitur vera nomenclaturæ ratio à nobis aperiat; statim omnia quae de Vertumno quaeri possunt, è Cimmericis tenebris in clarissimam lucem eruentur. Primum igitur hoc mihi ex Aurelio nostro sumam, Vertumnus Thuscus esse, & nomen de patria sua lingua accepisse. Vel igitur vetus Hetruscorum sermo idem fuit cum Romano, vel diuersus: si idem, frustra Propertius Dei patriam indicauit, vt ab eius vernaculo sermone nomenclaturam interpretaretur: si diuersus, quare Deum dictum esse dicit à vertendo, dictione Latina, non Hetrusca. Quo hac in controuersia ad ipsam veritatem aspirare possimus, necessarium iudico, vt quis fuerit antiquissimus Thuscorum sermo, intelligatur. Summatim igitur ex Romanis meis originibus ea repetam quae ad hunc locum facere videntur.

Iaphet siue Iapetus cum ex Asia in Græciam, & postremò ex Peloponneso in Italiam nauigare, primum ad eam Hesperiae laciniam appulit, quae sinu Tarentino à Brutiis dirempta est, eamque à nomine suo Iapygiam vocauit, quasi diceret, **Iapetus** / vel **syncoptòs Iapys** / & exempta adspiratione, quo lenius compositio coëat, **Iapys** / id est, Iapeti gaudium, vnde post Iapygia fuerit nominata. Spiritus enim Dei, qui & nauem, & mentem pij viri dirigebat, animo suggererebat, in hac regione ad eam felicitatem & amplitudinem imperij posteritatem suam peruenturam, quam Nochus pater diuinitus praedixerat. Non malo igitur iure **Iapys** eam promissæ sibi terræ partem nuncupauit, in quam primum exiuit. Comer itaque ipsius maximus natu filius cum suis vltèrius regionis modò inuentæ littora circum nauigauit, & non ante sedem suis fixit, quàm Cumas veniret, quod oppidum gemina ratione ita nominauit: priore, quòd illic primum in terram venisset, quod Cimbricè **Cum-an** siue **Com-an** dicitur. Altera, quòd eadem voce **Com-an** progressus ad perfectionem notetur, quo significatu bonum posteritatis suae incrementum ominabatur. Et quia in eo errauerat, quòd non potius in Sinum Baianum prius appulisset, deterritus fortassis fumis, & flammis, & tetro sulphuris odore, & eminus fortè coniectans magnum aliquem & reductum & vndique clausum sinum esse, quicquid maris hinc vltra Prochyten & Ischiam, hinc intra littus Italicum cerneretur: promontorium illud quod circumiuit, **Misenum** vocauit, à **Missen** / quod est aberrare, & rem commodiorem praeterire. Hic igitur primum Cimmericos suos collocauit, quorum memoria ad ipsum vsque Homerum peruenit, qui **Vlysses** suum per horum specus ad inferos demittit. Ab his igitur Baiae loca illa dicta sunt, quae thermis abundabant, vti hæcenus lingua nostra **Baia** quæuis balnea vocantur. Ab his item **Puteoli** nomen seruarunt; eo quòd locus ille nihil aliud haberet, quàm puteos & antra, id est, **Puteoli** vnde **Puteoli**. Neapolis autem non est in veteribus Cimmericorum urbibus, sed noua Græcorum, quod & nomine praefertur. Ab his locis Cimmerici paulatim secundum littora à Tiberim vsque progressi sunt, medio quasi itinere **Caieta** condita; qua voce nihil aliud significatur, quàm lætum, & amicum, atque gratum caput, à **Cai** & **et** siue **port**; quorum illud quid signet modò dictum, hoc caput notat: quo nomine Cimbrici non caput tantum, sed promontoria etiam appellant: quorum phrasim Itali & Hispani à **Goris** & **Francis** acceptam hæcenus seruant, promontorium **Capo** vocantes. Quàm aptè hanc dederint nomenclaturam, ille ignorare non potest, qui vel semel **Caietam** viderit. Eidem genti & nomen & originem **Circæi** debent, quorum oppidum & promontorium seu insula quædam altissima, & vario herbarum genere fecunda, & à continenti paludibus separata, **Citsee** / id est, maris ornamentum est nuncupatum: à quo ob etymologiae ignorantiam & S & C affinitatem in Latinorum pronuntiationem **Circe** postea dici cepit. Sed iam satis de Cimbrici primo in Italiam aduentu, reuertamur ad Iapetum. Hic secundum maris Adriatici littora paulatim ad

Vertumnus vnde dicitur.

Iapetus Nochi filius, pater Comer, ad Hesperiae laciniam appulit. Iapygia.

Comer Iapeti filius maximus natu in Italiam venit. Cumae.

Misenum promontorium. Misenum. Cimmerici in Italia à Comer collocauit primum. Baia. Baian. Puteoli. Neapolis nomina urbs Græcorum. Caieta. Cai. et. port. Capo. Circei. Circe.

Iapetus Thusciam gentem condidit.

Ianus unde dicitur. Iaphet unde dicitur. Iay.

Pai. Pais. Pax. Pao.

Thusci unde dicitur.

Sacrificium omne quod spectat. Thui.

De articulis.

Thui.

Tueor.

Padi usque ostia progressus, & in medio habitatoribus aliquot relictis, à fluminis ostiis sursum ad mediterranea reflectens, ac inde Apenninum superas, validissimam gentem condidit, quam felici faustoq. nomine Thusciam nuncupavit. Ceterum quo sine versus Cimmericorum colonos regionem terminavit, Ianiculum Tiberi impositum satis ostendit: in quo idcirco sibi sedem posuit, ut hinc Thuscios suos, hinc Cimmericos & intueretur, & quibus opus esset consiliis iuaret, vel hac sola causa, quamvis alia nullae essent, merito bifrons habendus. Nec est vlllo modo verisimile aliam Iapeti, aliam filij linguam fuisse, quod & ipso Iani nomine declaratur, quod à *San* Cimbrico, quod est ire, factum esse constat, ut Ciceronis testimonio in Cronis meis demonstravi. Quid quodd & ipsa vox Iaphet à latitudine generationis sit accepta, cum *Iay-het* nihil aliud sit quam caput, id est, princeps, de nostra loquendi consuetudine, ipsius generationis: quia *Iay* idem sit quod *βασ* Græcorum, compositum à *San-ay*, id est, ascendo, concise *San-ay*: è quo sit *Iay*, eodem quo Ianus ex Ganus. Habetis etymon de Cimbrico sermone: accipite nunc analogiam eidem linguæ peculiarem, ne quid omnino dubij relinquatur. Quid præstet viri feminis, quas ascendunt, ipsas, si nescitis, interrogate: quid sibi præstent, ipsi sentiunt. De forma itaque ichnarum vocum *Iay* conuersum sit *Pai*, quo quis nostrorum hominum nescit idem notari quod Latini dicunt contentum reddo, siue satisfacio: à quo *Pais* nostrum, & Pax & Pao Latinorum. Quia igitur qui mulierem ascendit, & se & eam pacat, vox *Iay* ita facta est, ut conuersa id significet quod huic adscensus generi naturæ vinculo ita est connexum, ut non queat seiungi?

N V N C itaque quia Iani & Cimmerici lingua eadem fuit, Thusciorum nomen ex ea interpretemur: sed antè videamus, quæ aliorum de hac gentis nomenclatura fuerit opinio. Plinius à sacrificiis dictos dicit. Grammaticis nonnullis placuit, à Tusculo Herculis filio gentem esse nominatam; quod sic mordicus retinuerunt, ut vocem sine adspiratione proferrent, ne hac parte cum *Thui* conueniret. Omnium certe veterum scriptorum testimonio clarum est, sacrificiorum disciplinam iam inde à primo gentis exordio apud Etruscos maximè viguisse, & à Romanis non raro inde aruspices atque vates euocatos; nec defuisse robustum in Veientum obsidione iuuenem, qui senem quendam Etruscum vi Romam rapuerit, quo lacus Albani emissionem è disciplina sua reuelaret. An non T. Liuius se auctores habere iactat, quorum fide doceri possit, pueros Romanos priscis temporibus perinde Etruscis litteris, atq. sua arte Græcis, erudiri solere? Patendum igitur, antiquissimam disciplinam cum ceterarum artium tum rerum diuinarum apud Etruscos fuisse, & idcirco non male illos coniectasse qui eos à sacrificando Thuscios, quasi *Thuscobov* dictos existimant. Verum cum Thusciorum lingua & à Græca & à Latina, Tito Liuius & ceteris ita tradentibus, diuersa esset, absurdum fuerit genti domi suæ sapientissimæ à Græcis nomenclaturam mutuari. Ianus populum quem his locis primus collocarat, cum cuperet quam diutissime & perpetuè, si fieri posset, conseruari, nomen illud imposuit, cuius monitu semper in mentem veniret, vnicè ad custodiam corporis & animi vnumquemque attentum esse debere. At frustra vigilamus & excubias agimus, nisi Deus nos custodiat & tueatur. Quamobrem prima, & præcipua, & vnicè custodia est, quæ quidem in nobis sita est, Deo supplices sacrificare, vel piis orationibus, vel muneribus ipsi gratis, vel vtrisque. Quoniam itaque omne sacrificium eò spectat, ut nos nostraque omnia Deus custodiat & conseruet: rectè ab hoc fine sacrificium est vocatum. *Thui* enim custodiam tutelamque signat, vox è generico significatu ad propriam sacrificij notationem idcirco usurpata, vt eius interpretatione moneremur, ipsam omnium rerum custodiam eo contineri. Et quemadmodum Græci dum *τρυφω* dicunt, summum bonum intelligunt; ita nostrates, dum articulum *De* ipsi *Thui*, qua custodia notatur, per synalæpham præponunt, summam custodiam, quæ sacro Dei cultu continetur, intelligi volunt. Hinc Græci *Thui* fecerunt, quo sacrificare significatur; à qua notatione ad alia quædam vox est translata. Latini Tueor verbum ex eodem fonte deriuarunt, sed generatim ad cuiusvis custodiæ defensionisque notionem ab iis accommodatum. Quod si hanc rationem vobis non probò, velim meliorem Falkenburgius è Græcis suis, quos perpetuos habet congerrones, adferret.

F A L K. Græci hic nihil habent quod dicant, quod si Socrates fortè interrogatus fuisset, dixisset, à Barbaris vt sacrificiorum ritum, ita & hoc verbum acceptum.

G O R O P. Id si fateretur, mecum faceret: sed quia nihil aliud habes, sententiam hanc meam eò firmiter tenebo, quod sic apta sit ex ipsa veritate & vltimo sacrificiorum sine, nulla vt queat vel vox vel vocis causa inueniri, quæ significantius idem exprimere possit. Præter illud enim, quod ea statim nobis indicetur, omnem corporis & animi tutelam & conseruationem; & malorum depulsionem à Deo pendere, & inde nobis esse impetrandam: tum hoc etiam ex ipsa vi vocabuli elucescit, soli Deo sacrificandum esse, quia solus Deus, & non alia vlla potestas custodire nos possit, vt ipse per prophetas suos non semel, sed creberrimè inculcat. Quocirca simulatq. hoc sacrificij nomen intelligitur, omnis idolomania euestigè conuellitur, & radicitus extirpatur: eo quod aperte moneri nos sentiamus, illi soli sacra facienda, & diuinos exhibendos honores, qui solus nos ab omni malo potest tueri. Cum igitur *Thui* per custodiæ tutelæque excellentiam supremam soli Deo queat adscribi; insaniat oportet qui sacrum hoc nomine priscis nostris maioribus significatum, alij vlli vel in cælis, vel in terris, quam ipsi illi qui solus seruator est omnium, facere aufit.

A B hac itaque vocula quædam etiam alia ad sacrificij proprie spectantia nomenclaturam mutuatur, qualia sunt Thus apud Latinos, *Thuios* apud Græcos pro sacrificio, vel vt Hippocrates vsus est, pro suffumigio; *Thymia* item, & Thymia, & Thuia arbor, & *Thuium* pro thuribulo, & Thymus pro herba. Præcipuum enim symbolum in sacris fumo suberat. Nam nisi oratio nostra & tota mentis nostræ ara fumer, nihil agimus. Vt enim fumus à solo igne & ardore generatur: ita necesse est, omnem orationem, omnem cultum diuinum, omnes carimonias, omnes hymnos, omnes victimas ab ipso interno diuini amoris igne proficisci: & quemadmodum fumus numquam sua sponte ad inferiora, sed semper ad cælum fertur; ita nec vlla nostra vota, nec vllas preces, nec vlla sacrificia aliud debere tendere, quam ad patriam caelestem, in qua sola vera est custodia, & conseruatio perpetua felicitatis humanæ. Quis tam stipes vel truncus est, vt Deum putet externo fumo delectari? Ipse scilicet omnium odorum creator inhiat his nostris crassis suffumigijs? Absit hæc vesania à mentibus nostris. Deus hæc externa cultui suo adhiberi voluit, vt symbola & tesseras eorum quibus hominum animi Deo grati & accepti sunt, quæ si defint, vana est & inanis omnis carimoniarum & rituum apparatus, & Deo etiam odiosus, cui in primis displicet fallax pietatis larua, qua se sanctitatis simulatores hominum oculis solent venditare. Eiusmodi apud Esaiam homines increpat, dicens: *Quid mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum holocausto arietum, & adipe pinguium, & sanguinem vitulorum & hircorum nolui.* Et mox: *Incer sum abominatio est.* Et iterum: *Calendas vestras & sollemnitates vestras odiuit anima mea, facti estis mihi in satisfactionem.* Idem 49. psalmo apertissime expressit, sibi nimirum minimè grata esse externa id genus sacrificia, vt potè quibus nihil ipsi omnium rerum Domino opus esse possit. Eodem spectant cum alia infinita prophetarum verba, tum illa quibus ieiunium & afflictiones corporis, citra abstinentiam ab auaritia & ceteris vitijs, Esaiæ capite 58. vt molesta & odiosa Deo opera reiciuntur. Cum igitur alijs locis hæc grata Deo esse dicuntur, vt cum dicitur, *Odoratus est Deus odorem suauitatis*, tum sic est cogitandum, externa ita commendari, vt laus omnis ad ipsa significata transferatur. Thymia igitur siue Thuios à *Thui* dicuntur, quia signa sunt eius affectionis animi quæ ex caritatis flammis elata hominem à terrenis curis ad cælum rapit, citra quam omnis oratio, omnes victimæ, omnia sacra inania sunt, omnis utilitatis. Hinc & Thuia arbor odorifera nomen accepit, quod ea quoque in sacris ad suffumigium edendum cremaretur, cuius loco apud priscos Romanos Sabina ponebatur.

S E N. ceteris cunctis aromatibus thus prælatum videmus, quod symbolum diuinitatis esse illi tradiderunt qui tria diuersa Magorum dona Christo seruatori nostro oblata interpretantur. Aurum enim vt regi, myrrham vt homini mortali, thus vt vero Deo dicuntur dedisse. F L E M I N G. Quæ igitur significationis vis in thure inuenitur, vt hoc magis Deo, quam cetera illa, videatur offerendum? G O R O P. Id clarè perspici nequit, nisi thuris naturam expendamus. Eius in primis hæc dos est, vt facillimè flammam concipiat, & suauissimum odorem longè latissimeque diffundat. Deinde nihil eo præstantius ad difficillima quæque vulnèra, etiam cerebri membranarum consolidanda: vlcera omnia, quamuis maligna & medicis obstinate resistentia, per sanat. Oculorum caliginem egregio ducit,

Sacrificandi soli Deo.

Thuis, thuris unde dicitur. Thuios. Thymia. Thymia arbor. Thymus. Thymus, sacrificij symbolum in sacris.

Sacrificiorum externus cultus.

Sabina arbor. Thus symbolum diuinitatis.

Thuri natura & dos.

discutit, & alia quamplurima remedia præstat, quæ superuacaneum sit hîc enumerare. Videamus itaque quid eiusmodi vim habeat, vt quod thus facit in corporis vlceribus vulneribusque, id ab ipso fiat in animis lethali vulneres faciens. Quid, inquam, est in animis nostris quod & hoc, & cetera quæ thuris ope in corpore fiunt, præstare possit? Vel D. Paullus, quid dico D. Paullus, vel ipsa me. Veritas fallit, vel nihil est aliud, cui hæ vires tribui queant, quàm Dei amor, qui diuina benignitate animis nostris infusus, lethale vulnus à dracone inflicto consolidat, nos cum eo colligans & vnies, qui solus omnes animi ægritudines curare potest. Morbus enim mortalis quem nobis pestilens serpens morsus inflixit, eam soluit continuitatem & vnionem quæ inter caput erat & membra, quo fit vt nisi rursus capiti nostro vniamur, salui esse nequeamus. Vniri non possumus nisi amoris glutino: quod ad nos tum demum distillat ex arbore misericordiæ, & bonitatis diuinæ, cum nos miseriam, paupertatem, vulnera & fœda vlcera nobis à dracone inflicta diligenter expendimus, & deinde mentis apicem ad infinitam Dei clementiam & infinitos bonitatis thesauros attollimus. Ex hac enim collatione humilitas nascitur, primus gradus ad felicitatem. Nam sola animi deiectio desperatione, & ruinam, & precipitium adducit, nisi naturam eorum quæ ad aliquid dicuntur, secuti, humiles nos præbeamus, respectu immensæ bonitatis diuinæ, & eius infinitæ misericordiæ. Nam si mens nostra ab egestate sua intueatur, quàm potest humillimè & abiectissimè, ad diuitias eius qui summè bonus est, & solus optimus vocandus; non poterit fieri, vt is qui summè bonus, non communicet aliquam bonitatis suæ scintillam, qua animus noster accensus statim sursum feratur, & rursus ei vnietur à quo cædo vulnere & mortali fuit diffractus. Huc tota Diotimæ fabula referenda, quæ ex Penias & Pori coniunctione Amorem producit, meritò Diotimæ à Platone attributa, quod non alius sit Iouis honor maior, quàm animum hominis & suam agnoscere inopiam fœditatemque, & ei comparare diuinæ bonitatis infinitatem. Hac igitur via ad illud peruenitur quo natura humana lethali vulnere à capite & sponso suo diuisa, rursus ei vnietur, & ipsa vnione particeps fit iustitiæ illius qua nos filius Dei in cruce ab æterna morte liberauit. Hac igitur est illa caritas, & ab ipsa veritate, & à D. Paulo, & ceteris tum Prophetis tum Apostolis prædicata, citra quam omnia studia hominum, omnia sacrificia, omnes preces, omnia ieiunia minus sunt quàm inanis sistrorum tinnitus. Quia igitur hæc caritas solutam vnionem conglutinat & cõsolidat, non malè Thuris symbolo fuit notata. Quemadmodum enim thus non solum vulnera glutinat tum interna tum externa, sed maligna etiam vlcera curat, ita & caritas omnes animi sordes deterget. Quid porro est quod oculos mentis magis purget ab omnibus Saturniis lemis, quàm amor quo purissimæ diuinæ bonitatis luci adhæremus? Hoc igitur nobis thus offerendum, vt omnium horum moneamur: & quemadmodum ipsum facillimè accenditur, & suauissimū odorem spirat, ita & nos amoris diuini flamas promptissimè suscipiamus, & iis ad cælestem patriam euehamur, vt Deus mentis nostræ sentiat odorem, & sicut in nobis ignem agnoscat. Vt igitur semel concludam, Thus caritatis amorisque tesseram prisca sacrorum antistites esse voluerunt. Hinc mox perspicuum fit, quare thus integrum sit igni iniiciendum: quod in Leuitico non semel monetur. Deus enim qui se zelotem esse dixit, non vult amorem diffractum, sed integrum, iuxta Christi præceptum; *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua*: in quo totum ter repetitum ingentem & admirandam ostendit Dei zelotypiam, qua nullo modo quicquam ferri potest amoris sibi debiti particeps. Totum itaque thus, non contractum, offeramus; ne is cui id offerimus, dum eius quod integrum debetur, particulam aliquam sibi deesse videt, nos non amoris igne foueat, sed æternis ignibus cruciandos tradat.

Amor Dei in animis lethali vulnera faciens id præstat quod thus in corporis vlceribus vulneribusque.

Humilitas primus gradus ad felicitatem.

Thus caritatis & amoris tessera. Thus integrum, non contractum, igni iniendum, & Deo offerendum.

Ego tamen nec dum id quod præcipuum in thure mysterium continet, expressi: quod si audiatis, erit quod in primo huius symboli inuentore maiorem in modum admitemini. Quemadmodum enim thus ab integræ valetudinis hominibus largius sumptum ebrietatem quandam & furorem inducit: ita amoris proprium est, hominum animos nullo morbo corruptos diuino quodam furore accendere, atque ad eum modum reddere temulentos, quo Apostoli flamis Spiritus sancti incensi, apud populum publicè bacchabantur. Habent poëtæ suum furorem quo inflammantur, de quo dictum:

Est Deus

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Sed nihil ad hunc ignem, quo tum Apostoli, tum Prophetæ, & Sibyllæ, & alij innumeri olim correpti fuisse narrantur, quem thus, non flama tantum, qua facillimè exardescit, sed occulta quadam facultate & spiritu intus delitescente repræsentat. Tanta autem est huius diuini furoris vis & efficacia, vt ij in quibus excitatur & effervesceat, omnia quæ in hoc mundo occurrere possunt, sive prospera sint sive aduersa, pro nihilo ducant, nec plures faciant instantis minas Tyranni, quàm vanas pagmatum laruas. Thus itaque Deo soli offeramus, thus integram, thus candidissimum, in quo nulla macula terrena, nulla labe amoris corporei, nulla inflammationis tarditas reperiatur: atque hæc amoris tessera nos illi deuinciamus, cuius solius attractu perducere possimus ad felicitatem & custodiam animorum sempiternam. Quanto bona Hecate doctius & melius Virgilius incantationem suam instituit, quàm fortassis vel ipse cogitarit, vel saltem illi qui versus ipsius interpretantur!

*Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta,
Verbenasque adole pingues, & mascula thura.*

Neque enim ligandi vim in cinctu, & vitteis, & verbenis, quas in Becceselanis explicauit, tantum expressit, sed in thure etiam occultauit: quod si Græco nomine dixisset, statim Cimbris amoris vinculum indicasset. Thus itaque sacrificiis diuino profus consilio adhibitur, quo notaretur, nihil nostras preces, nihil vota, nihil victimas prodesse, nisi amor nos Deo colligeret atque connecteret, tum etiam furore quodam accendat, vt omnia cetera præ hoc vno, cui iungi cupimus, nihili faciamus. Hoc enim demum verum est sacrificiū, in quo hæc Thuris significatio veritatē suam tueretur, quandoquidē Deus neq. lacrimam arboris, neq. eius fumū, neq. externi odoris suauitatem querit, sed illud solum, quod thuris symbolo primi sacrorū antistites indicauerūt. Hinc Hieremias Hebræos verba Domini non audientes, & proicientes legem eius, sic in persona Dei increpat: *Ue quid mihi thus de Saba afferis?* quasi diceret: non hoc thus è Sabæorū filius allatū volo, sed animum amore illo flagrantem, quo lex & Prophetarum præcepta complentur. Ex hac ergo antiquissima Theologia, thuris acerra, & thuribulum ad Romana sacra venit; tot ante Numam sæculis, quot vocum harum Libanus & Thus vsus præcessit. Quamobrem miror Arnobium asseruisse, Thuris usum Heroicis tēporibus in sacris non fuisse, id quæ eo magis miror, quod Leuiticus multo ante Heroēs Græcorum scriptus sit, in quo clarissimum hoc de Thure adolendo præceptum extare, non potuit nescire.

Thus sacrificiis diuino consilio adhibitur.

Ex hoc tessera huius explicatu carimoniarum ratio, quas in zelotypiæ sacrificio, Deus seruari iussit, clara reddetur. *Si, inquit Dominus, spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra uxorem suam, qua vel polluta est, vel falsa suspitione appetitur, adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem farinae hordeaceæ, non fundet super eam oleum, nec imponet thus, quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adulterium.* Cernitis ne in his Domini verbis vetari, ne thus zelotypus sacrificet? Equum certè est, amoris tesseram ab eo sacrificio excludi, à quo omnis amoris exclusi est cogitatio. Nec oleum quidem misericordiæ & clementiæ symbolum Deus ab eo offerri voluit, qui ad adulterij vindictam consequendam sacra fieri vellet. FLEMING. Numquam profecto quicquam audiui concinnius explicatum, Non possunt itaque vilo modo committere, vt hanc tuam de thuris symbolo opinionem non vehementer laudem. GOROP. Vt tamen te magis adhuc confirmem, aliud ex eadem Hermathe-na nostra depromam, de quo tam clarè veritas elucescet, vt vel à cæco manibus tangi possit. Tota Asia & Græcia communi olim consensu Thus Libanum nominauerunt, quam vocem Hebræi à לָבָן quod est album, esse deriuant; eo quod lucidissimum & candidissimum thus in sacris maximè commendetur. Verum quia vox Libanum communis est omni thuri, non verò masculo thuri, quod solum candidum est, peculiaris; nec albedo ad odorem & cetera quæ in thure quærantur, magnam vim habeat, tum etiam quod plurimum in rebus, & ferè infinitis, longè maior albedo, quàm in masculo thure cernatur: non video quā tam supinus fuerit vocis architectus, vt ab albi notatione nos voluerit in thuris potius, quàm gypsi, vel cretæ, vel calcis, vel liliorum venire cogitationem. Sit sanè satisfactum Hebræis hoc tam imperito res per voces distinguendi modo: nos eorum pace illud quæramus, quod plus utilitatis adferat, si sit inuentum. Nec

Zelotypiæ sacrificio.

Libanū thus.

quæren-

quærendum diu. Ecce vltro sese offert. Dixi thus amoris in sacrificio typum esse, & amoris eam esse vim, vt nos Deo alliget atque deuinciat. Videte igitur quid sit *stebant*, an non amoris vinculum? Quid, rogo, apertius? quid diuinis rebus conuenientius? Ipsa statim vox exprimit, amorem thure in sacrificiis notari; deinde illud addit, quo amor vinculum esse inter nos & Deum intelligatur. Conferte nunc etymologiam de Cimbrico sermone sumptam, cum ea quam Hebræus adduxit: examine vtra plus habeat solidæ reconditæque sacrorum disciplinæ. **FALKENB.** Tu me nunc eò adduxisti, vt dum de amoris simbolo loqueris, me in mirificum quandam Hermathenæ tuæ amorem raptueris, ex qua video quasi è Sibylla quadam omnium mysteriorum emanare veritatem. **GOROP.** Vide quid agas, de zelotypia cogita; mihi meos finito amores, tu vel Diotimam vel Aspasiam Socratis magistras amplectaris & exofculeris. Hebræos tamen in hanc opinionem venisse video; vt Libanon ab albedine dici putarent, quia quæ ratio vt aperta est in monte, ita claudicat in arboris lacrima.

Thus, thuris unde dictum.

Thuscus unde dictum.

Scopus.

Sed redeo ad Thus, quod idcirco sic dictum aio, quod primam & supremam custodiam notet, quæ de omni sacrificiorum varietate sperari possit, totam nimirum in amore diuino constitutam. Reliquum est, vt nunc, quid Thuscus sit, explicetur. Poteram dicere, vt plerique omnes, Thuscus adiectione dumtaxat syllabica auctus, eos dici, qui sacrificiis & custodiæ sui suorumque sunt intenti. Verum malim ita vocem exponere, vt sit composita ex *Thui* siue *Thui* & *Scow*, quo posteriori significatur accuratè inspicio & considero: ita vt *Thuiscow* nihil aliud sit, quam is qui accuratè considerat & attentè inspicit, tum quæ sit sacrificandum, tum quæ publica & priuata sint custodienda. Duplex autem digamma, quo Latini carent, abiectum est, & vltata Romanis vocabulorum terminatio facta, sibilo in locum eius substituto. Ianus igitur gentem à se legibus & moribus formandam sic nuncupauit, vt geminam simul moneret custodiam ad durationem & perennitatem esse necessariam: Priorem in cultu diuino constitutam, quæ quia primas tenet; generis nomine digna est visa hominibus priscis; Alteram in diligentia, & prudenti omnium domi forisque procuratione. Qui enim Remp. saluam esse vult, ei in primis curandum, vt orationes & sacrificia ritè fiant: quod Apollo, quamuis cetera pleraque mendax, verissimè Atheniensibus respondit, causam nimirum, cur Lacedæmonij meliores rerum successus haberent, quam Athenienses, cum hi multo magnificentiores hostias, quam illi immolarent, eam esse, quod melius orarent. Videndum itaque ante omnia ei qui Senatus populi que rem diu incolumem & integram seruare cupiet, vt non solum sacrificet atque oret; sed etiam magna diligentia circumspiciatque disquisitione curet, vt nequid hac parte peccetur; quod fieret, si honor Deo singulariter exhibendus, creaturæ alicui communicaretur. Non satis itaque esse *θυσίας*, sed accedat oportet vt sint *θυσιασται*, si permittatis hanc vocem ab eadem origine, à qua nomen Thuscorum, manasse. Ab eodem *Scow* sit scopus, & *σκοπιέω*, & quæ inde vel componuntur, vel deriuantur: in quorum numero est Episcopus, quo diligens inspector notatur; qua voce Athenienses pro eo utebantur, qui auctoritate publica prouincias & ciuitates circumibat, quo videret, an rectè à magistratu gubernarentur. Nostra religio ad sacra dumtaxat hanc vocem retulit; ad quam loquendi consuetudinem idem ferè erit Episcopus, qui Thuscus. Quamobrem mirum non est, fuisse qui Thuscum

Scopus unde dictum. Episcopus.

Thuscus Herculis filius. Ianus Thuscæ gentis auctor, merito potuit primus vocari Thuscum.

Ianus unde dictum. Nochus Herculis dictus.

Ianiculum.

Herculis filium dicerent; cum reuera Ianus meritò potuerit, vt gentis auctor, ita primus quoque vocari Thuscus; eo quod Episcopi munere non solum gemina facie, sed aliquando etiam quadruplici fungeretur. Si quis vniquam post Nochum (nam æquum est summum decus huic manere) verè potuerit vel Thuscus vel Episcopus vocari; is certè aut Ianus fuit, aut nemo mortalium; qui hac de causa non solum nunc bifrons, nunc quadrifrons & dicebatur & pingebatur, sed Iani etiã nomen accepit, ab eo, quod perpetuò ad suos visitandos in itinere esset. Thuscus ergo, Thuscæ gentis conditor, Herculis, quo nomine Nochum vocatum fuisse, aliàs docui, filius reuera fuit; quamquam qui hoc tradiderunt, ad hanc intelligentiam non adspirarunt. Ianus itaque condita nunc Thuscia, Ianiculum collem Tiberi imminentem de nomine suo vocauit; in quo, vt modò indicauit, eo lubentius domicilium habuit, vt & Cimmeriis & Thuscis æquè posset adesse; & si qua controuersia de limitibus exoriretur (vti frequenter fieri

ter fieri solet inter finitimos) eam ipse præsens auctoritate sua componeret atque sedaret.

Verumenimurò cum hoc modo & Thuscus & Cimmerios paterna cura in pietate & probis moribus conseruaret, atque eius rei fama iam apud fratrem Chamum siue Chamesem, vt Protarchus Trallianus eum vocat, percubisset; non potuit improbus, & fraternæ felicitatis inuidus animus se continere, quin ad fratrem nauigaret, simulatione fortasse benignæ amabili que visitationis vsus; sed aliud longè sub præcordiis versans. Hic à Iano (vt simplex, candidus & bonus vir facillè decipitur) magna humanitate susceptus, ad partè regni est admissus. Ceterum diu celari non potuit improbum peccus, quod totum non præpostera modò libidine æstuabat, sed fanatico etiam idolorum cultu furebat. Cæpit enim paulatim inter Cimmerios maximè, in quorum limite conlidebat, insaniam suam seminare; & quæ est hominum ad vitia procliuas, maximam Hesperix partem corrupisset; nisi Saturnus, siue Nochus, huius rei certior factus, mox labentibus rebus succurrisset. Hic igitur ex Asia in Cretam, inde in Auloniam deuectus, Tiberim intrauit & Chamesem nefarium suum filium è Cimmerico & Thuscorum limitibus eiecit, qui in Africam reuectus, & nihil amplius patris auctoritatem metuens, quia ob decrepitam ætatem non videretur Africam vltèrius visiturum, nefandam docuit idolomaniam, & se non minimum deorum in stolido ficticij sui cæli somnio constituit, sed Iouem se Hammonem voluit vocari, de sua ipsius nomenclatura cognomen mutuatus, quod alij Ham, profunda adspiratione, alij Cham solent pronuntiare: qua de re Hieronymus in annotationibus ad Genesim consulatur. Saturnus autem iam grandior æuo, quàm vt diutius ferre posset perpetuos terra mari que discurfus, quibus ad eam vsque ætatem ad suos in vera religione continendos vsus fuerat, sedem sibi & vltimam domum è regione Ianiculi, in quo filius habitabat, constituit; quæ post Saturnia de nomine ipsius est nuncupata. Tota autem regio, vt alias ostendi, Latium, quasi *lactium* id est postremum domicilium, nominata est: qua in orbis parte ea de causa vitam finire voluisse videtur; & quia optimum, & maximis Dei promissis præ ceteris insignem filium haberet vicinum, & quod spiritu diuino plenus iam tum præsentiebat hoc loco summum in terris imperium futurum, cui ob id nomen *scow* videtur dedisse, potentiam per vniuersum orbem iactandam manifestans; vt mox aperiemus. Hammon autem securus iam omnis generis scelerum machinator, mendacia infinita seuit; & vt viuum patrem numquam non ignominia affecerat; ita de mortuo multas fabulas confinxit, & inter alia, cum ipse non rarò à patre fugatus fuisset, iussit posteritatis memoriæ tradi, se patrem suum regno pepulisse; quicquid denique sacrorum nominum esset, id sibi suisque scortis & cynædis iussit applicari. Sed his obiter indicatis, ad Ianum reuertor; qui in Thuscia optimam Reip. formam sanxit, & totam sic pietate, religione, scientiis, artibus & moribus instruxit; vt Romani vix quicquam post in ciuitate sua habuerint laude dignum, quod non inde se sumpsisse fateantur.

Chamus siue Chameles nefarius filius Nochi uolomania auctor.

Nochus, Saturnus dictus. Chamus Iupiter Hammon uoluit.

Chamus Iupiter Hammon uoluit.

Saturnia. Latium.

scow. Roma.

Tyrrheni. Lydi.

Porro quia in hunc antiquitatis campum Vortumnus nos traxit, Thuscum se esse dicens; non puto me plusquam Ogygiam huius Dei vetustatem vobis probare posse, nisi prius de iis pauca dicam, quæ Græcorum & Latinorum quorundam fabulis de hac regione circumferuntur. Herodotus enim, & eum secuti plerique alij scriptores, Tyrrhenos Lydos faciunt, à Tyrrheno Atyos filio, ob ingentem famem, è patria in hanc Hesperix partem deductos. His Virgilius ceterique poëtæ tanto lubentius assenserunt, quod hac occasione magnus carminibus ipsorum accesserit orriatus: Verum horum omnium opinioni ipsa Tyrrheniæ cum antiquitas, tum mores, & vitæ instituta ex diametro repugnant; quæ apud Lydos tam absurda fuerunt, vt filias suas prostitui paterentur: quod tantum abest vt decorum apud Tyrrhenos haberetur, vt Sputina formosissimus iuuenis faciem cicatricibus descædarit, ne qua honesta filia pulchritudinis huius illicibus capta in suspensionem veniret se ipsi subdidisse: quod minimè fecisset, si Lydorum mores ad Tyrrhenos hæreditario iure venissent. Sed quid hic laborem, aut argumenta quæram superuacanea; cum nihil absurdius cogitari possit, Tyrrhenorum Remp. cetera laudatissimam apud omnes fuisse, & in eo principio turpiter celsipitasse, in quo omnis honestatis per sobolem propagandæ seminarium continetur.

Xanthus Ly-
dius histori-
cus.

Addam tamen testimonium omnium grauiſſimum & locupletiffimum, contra quod ne à litigioſiſſimo quidem calumniatore vlla poſſit exceptio inueniri, Xanthi nimirum Lydi, viri, ſi Dionyſio Halicarnaſſeo diligentiffimo veritatis in quiſitori fides habenda, antiquitatum peritia omnium ferè principis: Hic cum in ceteris eam meruerit apud eruditiffimos laudem, quid iudicandus eſt præſtitiffe in patria ſua hiſtoria? Quid igitur, an hic tantus vir, tamque accuratus omnis veteris memoriæ inueſtigator, hoc tam inſigne patriæ decus tacitus tranſiſſet? num coloniam Tyrreno duce in Heſperiam ductam, ceu rem nullius aut gloriæ aut æſtimationis ſiluiſſet? Atqui hic tamen Atyos meminit, & duorum ipſius filiorum Torybi & Lydi, quorum vtrumque commemorat in Aſia manſiſſe, & vtrumque de nomine ſuo gentem, hunc quidem Lydos, illum Torybos condidiſſe. De Tyrreno vero, aut Mæonum aliqua in Italiam colonia, nulla vſquam mentio, ne verbo quidem aut litteræ vllius apice tenus, facta. Hunc igitur velut Herculanum teſtem omnibus iis oppono vel poëtis vel hiſtoricis, qui huiusmodi fabularum monſtra poſteris prodiderunt. Abeat igitur Annius, quod dignus eſt, abeat, inquam, ne quid atrocius dicam, ad ſcombros & thynnos, qui tam multa nugarum plauſtra nobis cum de Mæonibus, tum de tota Hebruſcorum gente obtruiſit. In Mæonibus tamen, quia erroris ſui clariffimos habuit duces, & in his Herodotum, Virgilium, Horatium, vt ceteros præteream; dignus eſt excuſatione: verum in illis quæ de Thalmudiſta ſuo emulget, diſpeream, ſiquid vnumquam viderim frigidius, in quibus magna cura pueris ſomnia conſingit. Conſtet nunc, vti teſtatiffimum, Tyrrenos Lydos non fuiſſe, conſtet item, quod inde efficitur, Græcam linguam à Lydis in Italiam non eſſe inuectam: atque idcirco fruſtra laborare, qui veterum Thuſcarum vocum origineſ hoc prætextu ad Græcos aut Mæones ſolent referre. Hinc ſit, vt ne Thuſci quidem nomen à Græcis ſumptum ſit, non magis ſanè quàm Iani aut Saturni.

Tyrreni Ly-
di non fue-
runt.
Græca lingua
à Lydis in Ita-
liam non eſt
inuectæ.
Thuſcarum
veterum vo-
cum origineſ
ad Græcos aut
Mæones non
ſunt referendæ.

Saturnus unde
dicitur.
Sat ſive
Sact.
Sis ſive Hes.
Motum ad
vltiora ſi-
gnat.
Cas.
Hi.
Hi.
Rudis, is, o.
Mercurius
unde dicitur.
Hæc.

Not ſive
Not.
Cæon.

Verum quia in hunc locum, dum errores perſequimur, abrepti ſumus; agite, & hoc audite, quod non parum ponderis iis addet quæ de Cimbricæ linguæ in Italia primatu à me dicta ſunt. Halicarnaſſeus, ad ſuperſtitionem vſque Romanæ antiquitatis accuratiſſimus expiſcator, fatetur Italiam ante Pelafgorum incurſiones, quas facit antiquiſſimas, genus ipſum ad Neptunum relegans, Saturniam à Saturno nimirum fuiſſe nomi- natam. Qua verò de lingua Saturnus hoc nomen acceperit, facile vobis eſſet explicare, ſi idem in prima Saturni & Satoris ſyllaba tempus inueniretur. Nos, vti Iani nomen apertiffimè ad noſtram linguam pertinet, vel Cicerone id conuincente, tametiſi quid agat neſciat, ita Saturni quoque nomen ex eadem petitum eſſe aſſeueramus: quod ſi ita ſit, quid ni effectum nobis credemus, vetuſtiſſimam in Italia linguam noſtram fuiſſe? **Sat** vocali longa ſemen nobis ſignificat: cuius conuerſio id indicat ad quod ſemina ab ipſa natura ſunt comparata. **S** enim vocali item longa, eſcam ſignificat, vox prima ab **S**/quo motus ad vltiora ſignatur, vt in Hermathena doceo; & ſibilo, quo id quod ſignatur, docetur ad longum ad vltiora motum pertinere. Quod igitur ſemen ab **S** ipſius mundi ſive perennitatis ſpectet, conuerſa ipſius **Sat** vox, quæ eſt **Cas**/quæ **Cæ** ag/id eſt; ad eſcam, indicabit: Sicut enim nobis eſca durationem ætatis noſtræ continet: ita generatim ſemina totius huius mundi durationem perennant. Iam **Hi**/quæ altera in Saturnus ſyllaba eſt, perfectionem & abſolutum quiddam notat: cui contra- rium conuerſa vox **Hi** notat, vnde Rude Latinorum. **Satur** igitur perfectum & abſolu- tum ſemen notat: quæ vox integra videretur, & eſſe poſſet integra etymologia, ſi Latini perinde Saturius, atque Mercurius dicerent. Mercurius enim ex eadem noſtra lin- gua abſolutus & perfectus conſiderator vocatur: cum **Mer** nihil aliud ſit, quàm conſi- dero. **F A L K E N**. Obſtupeſcerem, niſi hæc ſæpius mihi dixiſſes, & multis exemplis & rationibus confirmaſſes, **Hi** perfectum & abſolutum notare. **C O R O P**. Ad hanc vo- culam explicandam omnia argumenta, quæ in Hermathena ſunt, adduxiſſem; niſi & apud vos, qui hæc à me crebrò audiuiſtis, verba facerem; & omnem, quoad eius fieri poſteſt, vitarem prolixitatem. Videtur autem Saturnus haud ſecus poſtrema ſyllabam accerſuiſſe, atque Faunus, cuius expoſitionem ſuo loco referuo. Sit igitur Saturnus di- ctus quaſi **Sat-ur-not**/id eſt, neceſſarius ad ſemen perfectum & abſolutum. **Not** enim vocali longa ſive **Not** neceſſitate notat: & quia neceſſitas nos ad omnia diſcenda cogit; vnde Piſtaco cecinit Perſius; verſa vox, quæ eſt **Coon**/ ſignificat oſtendo, demon- ſtro; do-

ſtro, doceo. Hinc igitur Saturnus terminatione ad Latinam formam accommodata, ſi dicitur, qui neceſſarius fuit humano ſemini perficiendo: Vel ſi poſtrema ſyllaba negli- gatur, perfectus ſeminator; quod vocabulum primum quidem Deo, deinde poteſtati- bus mundi ſeminario præſectis, deinde Adamo inter homines, poſtrema Nocho, qui- bus Deus hanc ſingularem ſeminis humani propagandi gratiam conceſſit, tribui de- bet. Plerumque tamen Nocho dari ſolet; partim quòd eius, vti propinquioris, quàm Adamus ſit, recentior ſit memoria: partim quòd diluuij memoria horrendam peccato- rum poenam in Nocho ob oculos ponat. Saturnus itaque, qui naue in Italiam vectus eſt, Nochus fuit; Iapeti ſive Iani pater, aduentu ſuo promiſſiones Iano factas de lati- tudine generis & imperij ſigillans, quas Chameſes vt uſurparer, atque fratri eriperet, in Italiam fortatte venerat, putans ſe homines vitiorum blandimentis ad ſuas partes per- trahere poſſe, atque ita ſummi imperij ſedem occupare; quaſi loco, non Iano, Deus hanc dediffet prærogatiuam. Quocirca meritò fuit à Saturno patre compulſus ad re- gionem ſibi designatam redire. Videtiſne itaque quantum Saturni nomen ad noſtram linguam relatum vtilitatis adferat antiquitati Romanæ? Italia ergo de lingua noſtra Saturnia vocata eſt, & id quidem primo tempore, vt inde, quis primus in ea fermo fue- rit, fiat clariffimum. Poſthac itaque nullas amplius veritus obiectiones, conſtanter pri- ſcas voces ad noſtri ſermonis origineſ reuocabo, procul ad coruſ amandato Samue- le, Thalmudiſta, Anniano, cum tota illa mendacium auctorum enneade, quam in Croniſ debellauit.

Nochus qua-
re plerumque
Saturnus di-
citur.

Saturnia di-
ctæ Italia.

Tyrreni qua-
re vocati Thu-
ſci.
Pelafgi.

Tyrreni un-
de dicitur.

Quamobrem interrogandi linguæ noſtræ penates, qua de cauſſa Thuſci Tyrreni vocati fuerint, & id maximè apud Græcos, & exteras nationes. Antiquiſſimum Tyr- rhenis maris imperium fuiſſe, ex eo liquet, quòd Pelafgos, quos antiquiſſimos eorum faciunt qui Italiam è Græcia imperauerunt; omnem nauticam diſciplinam à Tyrre- nis didiciſſe, Dionyſius Halicarnaſſeus de vetuſtiſſimis auctoriſ tradat. Quocirca fateri neceſſe eſt, ante Pelafgorum aduentum Tyrrenos re nauali plurimum valuiſſe, atque longè latèque omnia maria percurrere ſolere; idque eo maximè, quòd Pelafgi dicantur de commerciis Tyrrenorum nauigationis peritiam ſibi comparafſe: quod fieri non potuit, niſi Tyrreni prius Pelafgorum oras frequentafſent. Non mirum itaque, ſi Thuſci apud Græcos ſe iactarent eos eſſe, qui omnia littora, omnes ſinus, om- nes oras, omnes inſulas adirent, & ſummatim omnia percurrerent; quod vna voce **Turrhemmen**/ ſive, vt nunc loquimur, **Tur rhenen**/ mutata tenui in mediam, diceremus. **Turrhen** enim ſive **Durrhen** ſive **Doyrhen** idem eſſe quod celerrimè percurro, an quem- quam eſſe putatis qui non intelligat? Turrhenni ergo ſe apud Græcos & exteros cete- ros nominabant, quo ſibi imperium maris, & poteſtatem ad quaſuis oras penetrandi arrogarent; & hac ſua appellacione efficerent, vt dum alia nationes ita ipſos nomina- rent, hanc ipſis concedere & confirmare poteſtatem viderentur. Deinde hac ipſa ſua nomenclatura ſic primum gentis auctorem referebant, vt cum ille ab eundo Ianius vo- caretur; ipſi ſe à celerrimo percurſu nominarent; quaſi dicerent, tantum abeſſe vt pa- tris veſtigiis non inſiſterent, vt etiam ſe velle præuerrere nomine ſuo profiterentur. Ne- que dubium eſt, quin Iaphet, cui Aſia minor, & Græcia, & ceteræ Europæ partes, vt colonis frequentandæ erant, ita legibus & diſciplinis inſtrundæ, & à vitis, ſiqua irre- piſſent, repurgandæ; plurima nauigatione vſus ſit, quo itinera ſua minore temporis diſpendio conficeret, atque Epiſcopatus munere fungi expeditius celerique poſſet. Qua de re nihil mirandum, ſi Tyrreni tum in re nauali plurimum excelluerint, tum de maxima percurrendi celeritate ſibi nomen ſumpſerint: quod eo gratius fuit, quòd eo patris & ſtudium & cognomen non ſolum referre, ſed etiam superare viderentur. Atque hæc quidem de Tyrrenica appellacione, quæ nihil ad Mæones nec ad Ly- dos ſpectat.

Verumenimvero, quia tam antiqua eſt hæc de Lydis opinio, videtur non citra cauſ- ſam irrepſiſſe. Experiamur igitur, an eam etiam queamus perueſtigare. Vnde Aſiatici Lydi nomen acceperint, nunc non quaero. Xanthus à Lydo Atyos filio datum ſcripſit: At hoc quaero, qui factum ſit, vt Tyrreni Lydij putarentur; ſi verum ſit, numquam quemquam Tyrrenum Atyos filium fuiſſe, nedum coloniam ad Thuſcorum duxiſſe ſines Iaphet. Quid Gomarſ ſignificet, paullo antè clarum feci: ad cuius vocis ſignifi- catum

Lydi unde
dicitur.

catum id sequitur quod Cimbris *Uedi* designat, cum eo vocabulo idē notetur, ac si Latinus diceret, populos augeo, promoueo, & ad frugē perduco. *Ue* enim populi, *U* vocali longa, augeo, promoueo, & ad frugē duco. Quia verò Latini diphthōgo *ie* carēt, pro ea hoc loco duplex Iota siue ypsilon substituerūt; pro qua tamen in libero Saturni cognomine à populis gignendis dato, I longum dumtaxat posuerunt. Qua de etymologia perspicuum fit, idem ferè in Iano quod in Tyrrhenno accidisse, vt quemadmodum hīc patris nomen non solum est imitatus, sed etiam prauertit: ita & Ianus Lydus sit cognominatus, non à gignendis tantum populis, sed etiam augendis & promouendis; qua in re amplius quiddam est, quàm in nuda populorum generatione. Quamobrem Ianus Lydus dictus est ab eius promissionis dono quam Nochi ore Deus ipsi fecerat; sic nimirum auctum & promotum iri ipsius posteritatem, vt non solum Semi sedes occuparet, sed Chami etiam progenies ei seruire cogeretur. Tyrrhenus ergo non malè Lydi propago vocabitur; eo quod Ianus Lydus sit, ex ipsa sacrosancta Iouis promissione, quam Nochus faustis & felicibus verbis apud diuinum Mosē legitur concepisse. Quamobrem verum est illud quidem, Tyrrhenos Lydios esse, id est, à Lydo genus ducentes: sed falsum, ab Atyos filio vel ductos in Thusciam, vel accepisse nomenclaturā. Atque hinc illud est errorum seminarium, quos & auidè Herodotus eiusque sectatores arripuerunt; & poētæ in præcipuis operum suorum flosculis collocarunt. Videte quàm hæc omnia & moribus gentis & sacris litteris consentiant, quàmque significanter de Cimbrico sermone explicentur, nullo vocibus adhibito tormento. **F L E M I N G.** Quis hæc vniquam mortalium cogitasset? quis vniquam tam clara veteris memoriæ monumenta, quis tam consentanea Mosi historiæ in lucem protulisset; nisi tu hæc de Hermathena tua nobis deprompisses? Macte igitur tam cælesti dono perge ad reliqua; & ea benignitate qua cetera aperuisti, illud etiam nobis explica, quamobrem Thufci non modò Thyreni, sed etiam Etrusci fuerint vocati.

G O R O P. Sentio quid agas, laudis me stimulo pupugisti, quo plus mihi sinerem oneris imponi. Etruriam & Etruscōs vnde dixerint Ianigenæ, quiuis facillè intelliget, si apud veteres scriptores legerit, cum omnes disciplinas & artes, tum religionem in primis apud Thuscōs olim maximè viguisse: quod tamen nemo litteris prodidisset, tamè ex eo ferè necessaria efficitur conclusione, quod Iantum gentis sua non conditorè modò & legum latorem, sed nomophylacem etiam habuerunt, & pædagogum, quippe qui sedem suam in Thuscōrum limite collocarit. Inter cetera igitur nomina voluit & illud esse quo perpetuò monerentur, vt vbiq; mentis aciem ad ipsum verum dirigerent. qua quæ potest esse adhortatio maior, quod maius incitamentum ad omnes scientias auidè hauriendas, citra quas ipsius veri cognitio non potest haberi. Difficile mihi sit verbis assequi, quantum ponderis hæc habeat admonitio, quam Etrusci nomine tam aperte video notari, vt notari clarius non possit. Quis Christianorum nescit, immò quis omnino Philosophorum nescit, in ipsius veri contemplatione totam contineri & absolutam felicitatem? Sicut *Utrufcum* significat, ad sacrificia & custodiam attentus sis: ita *Uet. trufcum* nihil aliud est, quàm ad ipsum verum sis attentus. *Serou* quid sit, antè dictum. *Uet. trufcum* vocali breui articulus est, cuius notationem, ipsum, Latinorum vox, exprimit. *Uet. trufcum* idem est quod verum; quod Britanni de verusta sua lingua hæcenus seruant. Nos *Uet. trufcum* dicimus conuenienter primæ vocis origini, quam ichnæa ostendit conuersio: *Uet. trufcum* enim idem est quod verbum, primum primo verbo dandum, cum quo ipsum verum profus est idem. Sed hæc sublimiora sunt, quàm iis hīc sit immorandum. Hetruscus ergo yno τ adempto, lenioris soni gratia, is dicitur qui ipsius veri diligens contemplator est: qua voce Thuscōs ad perpetuam veritatis inquisitionem is qui nomen dedit, incitauit; quem non alium, quàm ipsum Iantum fuisse, credo; propterea quod tantum habeat hæc adhortatio diuinitatis, vt hoc auctore minimè sit indigna. Iam Hetruria dicitur quasi *Uet. trufcum*, id est, ipsius veri regnum: vnde adempto C, Hetruria apud Latinos vocatur. **F A L K E N B.** Tu res hæcenus inauditas ita demonstras ad veritatem quadrare, vt mihi videaris in veritatis regno educatus, facilius modò Tito Liuiō credo, Romanos pueros ad litterarum cultum capiendū olim solere in Hetruriam mittere. Sed si permittis, ad Vortumnum te reuocabo, ne fortè, dum latius in Hetruscōrum origines adscendis, in Gminiam siluam aberres, è qua difficiles olim exitus fuisse, historici tradūt.

Ue siue Uj.
Ianus Lydus dictus.
Tyrrhenus Lydi propago non malè vocatur.
Hetrusci vnde dicti.
Uet. trufcum.
Uet. trufcum.
Uet. trufcum.
Hetruria vnde dicta.

G O R O P. Non malè mones: vix enim me teneo, quin omnes Thuscia antiquitates vobis exponā, ita admirabili quodā, dum in eas incido, rapior ardore. Vortumnus Thuscum se dicit, quod eius simulacrum primum in Thuscia positū fuerit, & id quidē apud Volūnios, quos se ait deseruisse. Nescio quid hic primum sit exponendū, nomen ne Vortumni, an Volūniorum; an illud, quod Vortumni signa Propertius appellat paterna. Certè tota carminis materia in eo versatur, vt vnde Vertūnus dicatur, explicetur: quod magnam ob eam causam affert difficultatem, quod ipse Vortumnus fateatur, se nomen suum de patria lingua habere, & tamen addat, se non Romanum origine, sed Thuscum esse. Primum ergo cōsideremus, quid Vortumnus sit in eo sermone quo Ianigenæ olim in Hetruria utebantur: quo cognito, omnium eorum quæ de Vortumno in dubiū vocari possunt, ipsa luce meridiana fient clariora. Putauit Propertius, Vortumnum per secundam in principio vocalem scribendū, & idcirco nomen à Latinorū verito deriuandum. Quod si adstruere voluisset, prius demonstrasset, verito in Thuscōrum lingua idē quod apud Latinos significare, quod quia nec fecit, nec facere potuisset, paruam constantiæ curam videretur habuisse. Nos sic existimamus, apud præcos Latinos aliud vorto, aliud verito, fuisse; quamuis posteriora secula originū veratum ignara, inter has voces nullū agnouerint discrimen. Animaduertendū itaque, quo ipsa se veritas prodatur, geminam esse apud Latinos ipsius verito notationem; alteram, qua vertere quippiam dicimur, cum priorem eius constitutionem mutamus, vel ipsum contra ponimus, quàm prius erat collocatum. Alterā verò, de qua dicimus, Deus bene veritatē quod agis: quæ locutio non vult, vt Deus rem quæ sit, contra quam instituta est, collocet aut conuertat, sed vt id quod sit, promoveat, prosperet atque bene fortunet. Donatus in Terentij Adelphos scribens significationem hanc non malè quidem animaduertit, sed ineptè omnino ad prius significatum accommodauit, dum dicit, Vortumnum Deum esse, qui rebus ad opinata reuertentibus præsit. Neque enim res quæ bene succedunt, quod dicunt bene vertere, ad opinata reuertuntur; sed ad id quod animo destinatur, procedūt. Videmus itaque, non à reuertendo, aut conuertendo Vortumnum dici; nec res quidē tum bene vertere, cum reuertuntur aut conuertuntur, sed cum secundū cursū propositū bene promouentur, citra omnē conuersionem, quæ bono successui non opitularetur, sed apertū adferret impedimentū. Quamobrem statuimus, Vorto quidē ad conuersionē pertinere, sed Vorto dicendum esse, cum prosperum rerum successum volumus indicare: & hoc quidem verbū in Cimbrico sermone, quem primum in Italia fuisse dixi, claros habere natales. Vort enim apud nos ante significat, à quo Vort idem est quod ad anteriora, siue vterius. Hinc verbū Vort idem significat quod promoueo vterius; cum quo idem est Vort deriuatum à comparatio. Harum vocum vtralibet vtimur, dum cuiuspiam operis quippiam agenti, felicem successum precamur, quod neminè nostratiū potest latere. A Vort ergo Latini præci vorto fecerunt, verbum longè diuersum & origine & significatione à verito. A Vort fit Vortdom/ veluti à Upe Urtom/ à Uijs Ujrtom/ & cetera id genus multa. Vort dom nihil aliud est, quàm prosper successus; à qua voce Cimbrica hic noster Deus vocatus est Vortomnus, eiecta littera media; quod duplicatio superflua videretur & molesta. Quamobrem Vortomnus is deus erit, qui prosperos dat agentibus successus: quo statuto, nihil est vterius quod non perspicue queat exponi, & ad veram antiquissimorū religionem accommodari. Simulatque enim cogitabimus, quis deus sit qui omnium hominum res promouere & prosperare potest: nihil dubij relinquetur, quis sit Vortumnus, & quod ei conuenientissimum vel signum vel templum.

Nemo qui modò sanæ mentis est, & nulla idolomania contagione infectus, dubitare potest, vnū solum Deum esse, qui omnibus nō humanis modò, sed cælestibus etiam rebus promouendis præsit, qui idem sit creator & pater omnium. Quamobrem signa Vortumni, signa paterna à pontificij iuris peritis dicta sunt; quia signa essent ipsius patris in omnibus rebus à se creatis omnē successum moderantis. Quamobrem bene à Propertio dictum est: *Aspice Vortomni signa paterna Dei.*

Iam quod Vortomnus nihil aliud significet, quàm Deum omnia in omnibus prosperantem; Tibullus insigni epitheto declarauit, felicem eū appellans, eo nimirū, quod omnibus & mortalium & immortalium felicitatis dispensator esset atque largitor. Et ne dubitauerimus, quæ hūc Deum esse crederet, de præco ritu adiecit templū, non hominū manibus.

Vortumnus Thuscus.
Vortumnus vnde dicitur.
Vorto, duplicè habet notationem.
Vorto.
Vort.
Vortom.
Tibulli carmen de Vortumno.

aut factum aut dedicatum; sed illud, quod ipse sibi molitus est antequam hominem fecisset, lucidissimum videlicet, ac maximū, quod aliās cælum, aliās Olympū vocamus.

Talis in aeterno felix Vortomnus Olympo

Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Hos versus alij aliter legerunt; quibusdam pro aeterno, substituentibus extremo, quibusdam ætherio; quorum vtrumque frigidum, & à vetusta lectione longè recedens. Annus nugacissimis quibusque nugacior, quo haberet quod ad hunc scrupulū eximendum facere videretur, nouum quendam & omnibus inauditum Olympum commentus est de Hetruscorum, si Dio fido placet, disciplina; & quo sententiæ suæ testē haberet, Xenophontem nescio quem de Æquinocis in mendaciorū theatrum induxit, cuius auctoritate constaret, Olympū inter alia dici fossam, quæ vbi condendæ circūducitur. Nec contentus ficticij auctoris larua, Plutarchum etiam aduocauit, quem ait de Romuli vita scribentem asserere, hoc fossæ genus Olympū nominari. De Xenophonte quid sentiam, Cronia mea demonstrant: quid Plutarchus dixerit, ex ipsius verbis intelligetis; quorum eo facilius memini, quod tam absurdè fuerint ab Annio ad sua somnia venditanda detorta: sunt autem hæc: καλοῦσι δὲ βόθρον τοῦτον, ὃ καὶ τὸν Ὀλυμπον, ὀνόματι μοῦνον. Quid his clarius? Vocant, inquit, fossam hanc Mundum, nomine eo quo & Olympum. Quis hic tam vecors est, vt à Plutarcho dici putet, fossam Olympum nominari; cum apertè dicat, Mundum vocari, & eandem vocem ipsis in vsu esse, pro eo quod Græci Olympum nominant. Si Annium necdum suis coloribus à me depictum vidistis: ex hoc loco, tamquam ex vngula leonem æstimate. Verū quia non videbat quare Olympus pro fossa dici posset aeternus, aliam sibi finxit de suo cerebro lectionem, malens elegantissimos poetæ versus corumpere, quàm suas ineptas gerras testimonij prætextu carere. Pro aeterno itaque legit extremo; quoniam hæc fossa extremum vrbis esset.

Quamobrem Annianis chartis pro spongiis vti licebit ad eos vsus quos nostis; & Tibullum à fœdo mendo liberare; cuius hæc germana & lectio est & sententia, Vortomnum in aeterno cælo se esse, vti ceteros deos Romani in templis dedicarunt. Signum enim eius in vico Iugario à Iunonis Iugæ nomine nuncupato, sub ipso cælo siue aeterno Olympo fuerat collocatum; vt eo indicaretur, ipso illo Deo, à quo omnis felicitas & secunda fortuna procedit, non aliud sanū, quàm ipsum cælū dignum esse. Iam quæ omnium actiones intueri & promouere ad felicem exitum volebant, eum parietibus includi, rebus mortalium minimè putabant conuenire. Quid quod non humanis modò actionibus secundandis, sed ipsis etiā cælorum orbibus perenni volutione promouēdis præsidere credebatur: ita vt in eo maximè colēdus videretur templo, in quo maxima ipsius vis & potestas cerneretur. Hinc Propertius eodem respiciens, sic eum facit loquentem:

Hæc me turba iuuat, nec templo letor eburno.

Quem versus sic Annius exponit, quasi in Hetruria templum ipsi eburnum fuisset, quo apud Romanos lubenter careret. Sed hoc item, vt alia pleraque omnia, imperitè. Dicit enim Deus, tantum abesse, vt vilo omnino templo, vt ne pretiosissimo quidem atque ad eū elephantino lætetur; sed nihil malit, quàm in media hominum turba stare, quo nimirum ab omnibus æquè videatur, atque ex æquo omnium rebus prosperum successum adspiret. Nam qui legunt, *Nec me turba iuuat*, non vident, se egregiè falli, propterea quod nec probabile sit, præcos sacrorum rituum antistites tam rerum suarum fuisse imperitos, vt Deum, qui à turba abhorreret, in vico consecrarent frequentissimo: nisi fortasse non propitium, sed aduersarium eum vellent. Contrà profectò rem habere ipse indicat, dum dicit:

Romanum satis est posse videre forum.

Et iterum, dum optat: *Romana per æuum*

Transseat ante meos turba togata pedes.

Legendum igitur:

Hæc me turba iuuat, nec templo letor eburno.

Nec porrò credendum, aliter apud Hetruscos, aliter apud Romanos signū eius positum fuisse: cum potius honor augendus, non diminuendus fuisset, si beneuolū quidē ipsius numen Romani habere vellent. Quæ enim illa vel peruerfitas, vel in Vortomnū iniquitas fuisset, Deum ex eburno templo allatum, nullo templi honore dignari? Sic ergo existi-

existimandum, doctissimè & ritui præco conuenientissimè à Tibullo dictum esse:

Talis in aeterno felix Vortomnus Olympo.

Nec minus eleganter à Propertio:

Nec templo letor eburno.

Quo voluit indicatum, Deum ne pretiosissimi quidem fani, nedum vulgaris alicuius templi, cupere honores. Præco profectò hæc signi huius dedicatio egregiè quadrat cum nostra religione, quæ in Iano fuisse, qui neget, is etiam eam à Nocho tollat. Quid enim fidei nostræ aptius, quàm Deum nutu suo omnium rerum progressus moderantem, & ad optatos fines deducentem, nullis muris inclusum habere, sed sub aperto cælo signum eius collocare: quod nimirum iudicarent illud ipsum maximè templum decere, quod ipse sibi fabricasset; iuxta illud Esaiæ: *Qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.* Quamuis enim omnem tum corporis tum mentis capacitatem Deus longè lateque excedat, si tamen templum aliquod suum propriè habere dicitur, quod oculis quidem corporis cerni queat; illud certè suum habebit, quod Olympum Græci ab integra totius lucis visibilis comprehensione nuncuparunt. Apollo, cetera mendax, illud verè dixit, Deum in igne habitare inaccesso; quod de immenso diuini splendoris abyssu, ad quem ne angelicæ quidem mentes pertingunt, intelligendum. At si quid sit oculis humanis obiectum, in quo Dei magnificentia & maiestas cerni possit; certè id ipsum cælum erit dicendum. *Cælum*, inquit Dominus per os Esaiæ, *sedes mea, & terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam edificabitis mihi? & quis est iste locus requietis meæ?* Videte itaque, quàm omnia apta sint & concinna ipsi religioni quæ de Vortumno canuntur.

Et sunt quidem præcos ista diuina, quæ de templo eius modò dixi, sed nec minus cum veritate quadrant, quæ de variis huius Dei formis accepimus. Sic enim statua eius facta erat, vt ad quemuis cuiusuis hominis ornatum suscipiendū idonea esset: quo non aliud denotatum putetis, quàm Deum, qui quorumuis hominum laboribus promouendis præest, nullum habere discrimen personarum; sed æquè omnium partes tueri, & quorumuis personam accipere; quo se monstret omnibus æquè velle opitulari; denique se omnia fieri omnibus, quo omnium studia prosperet ac fecundet. Idem enim Deus agricolæ agricola est, futuri futuri, messi messi, magistratui magistratus, seruo seruus, dum in singulis singula officia administrat, & felici promouet successu. Statua itaque Vortomni sic erat expressa, vt idonea ad quemuis cuiusuis habitum suscipiendum videretur; non aliter atque Deus promptus est ad cuiusuis & preces audiendas, & labores prosperandos. Ex his bene consideratis non puto obscurum fore, quæ nam causa sit, cur Vortomnus quamuis formam decenter accipiat; cum pro votorum diuersitate aliud & aliud officium hominibus præstet, atque tot homines induat, quot adiuuat, & laetis successibus ad optatum finem perducit. Deus profectò omnia in omnibus operatur, nec quicquam operis perficitur, quod non ipsi soli debeat. Quod viuimus, quod spiramus, quod sentimus, quod intelligimus, quod ambulamus, quod manus, quod cetera membra mouemus, quod loquimur, quod aramus, quod serimus, quod metimus, quod flores decerpimus, quod deniq; quæuis munia obimus; id totū ipsius est: ita vt meritò tot personas gerat, quot sunt operationum actionumque varietates. Monebantur ergo homines hoc Vortomni signo, nihil omnino aggrediendū esse, ad quod non ante omnia Dei auxiliū inuocaretur, quo faustū felixque quod fieret, esse vellet. Quamobrem eo vrbis loco positum erat, in quo maxima hominum turba versaretur; vt nimirum veluti benignus quidam pater omnibus filiis de cælesti suo templo affulgeret, atque prosperos successus adspiraret. Quid aliud, quæso, indicabatur, dū felicitatis præses in aeterno Olympo, non in fano aliquo hominum manibus exstructo, cernebatur; quàm quod nos in oratione Dominica omnè Theologiæ medullā complexa dicimus, *Pater noster, qui es in cælis.* Quocirca conuenientissimè præcæ religioni Propertius celebrat signa paterna, & Tibullus felicè Vortomnū in æterno Olympo; quorum hic epitheto suo clarissimè expressit, à Vortomno omnem procedere felicitatē: cui cum cælum dedit templū, quid aliud fecit quàm si dixisset, Vortomnum patrem nostrum esse, qui in cælis habitans, omnium mortalium opera promouet atque fortunat. Opinor equidem hæc eum hauisse de arcana ritualium librorum disciplina; & longè meliorē veriorēque sententiā protulisse, quàm ipsemet cogitavit.

Vortomni templum est aeternum Olympum

Deus ne pretiosissimi quidem fani, nedum vulgaris templi, cupere honores.

Olympus templum Dei.

Vortomni varia forma.

Deus omnia sit omnibus.

Neque enim de Romana lingua intelligere poterat, Vortomni nomine non aliud quam prosperitatem notari: quod si intellexisset, numquam eam vocis rationem explicasset, vt hunc deum ita vocatum diceret, quodd se in omnes formas verteret atque mutaret. Longè alter cecinisset, sanctiusque etymon demonstrasset, si prosperam fortunam hac nomenclatura significari sciuisset.

Fortuna unde dicta.

F L E M I N G. Facis tu sanè, Goropi, vt de Fortunæ nomine, cuius prosperitatem Vortomno includis, Vortomni & Fortunæ eosdem credam esse natales. G O R O P. Non malè id credis. Exiguum enim inter V & F discrimen est, nec aliud est fortuna, quam dea, siue diuina voluntas, prosperitatis fauorem rebus mortalium adspirans. Alij enim *Fort* alij *Fort* dicunt pro eodem. Hinc *Fort-iun* / id est, prosper fauor, siue fauor prosperitatis: è qua voce composita, Latini Fortunæ nomen, exempta I consonante retinuerunt. F A L K E N B. Tu tandem omnia Latina vocabula ad Cimbricas radices reduces, si hanc viam ingredi pergas. G O R O P. Quid ni id faciam, cum de vera historia constet, Ianum & Cimberum Italiam primos possedisse: quo fit, vt minimè sit absurdum, quam plurimas voces ex illorum sermone apud Italos mansisse. Elegantissimum itaque nomen est Fortuna, includens non causam per accidens, sed fauorem prosperitatis, quo mox incitatur ad cogitandum, cuiusnam hic fauor sit, qui res nostras, præter consilium nostrum, secundet, atque ad felicem exitum, citra operam nostram, perducatur. Quod dum facimus, tandem eò recto tramite deuenimus, vt primam causam nobis nihil tale cogitantibus fauisse intelligamus, & non aliud Fortunam existimemus, quam Dei voluntatem, res nostras, præter opinionem nostram, felici successu promouentem. Quamobrem magnopere peccant, qui Fortunæ cæcitatem imputant, quoniam nihil discriminis sit inter fortunam & Dei providentiam, nisi quodd hoc nomen ad omnia & mundana & supermundana spectet; illud dumtaxat referatur ad fauorem, quem Deus hominibus præter expectationem ipsorum adspirat. Cum autem Fors dicitur, promotio quidem significatur, sed fauoris mentio nulla fit. Hinc elucescit, Vortomnum & Fortunam ab eadem origine deduci; sed eo dumtaxat differre, quodd Vortomni nomen pro Deo ea ratione ponatur, qua res nostras, quas consulto aggredimur, promouet: Fortuna verò Dei fauor sit, ex inopinato rebus nostris adferens prosperitatem. Quodd si Dei potestatem sic consideremus, vt res omnes catena quadam à nulla vi rumpenda alligatas tenet; Fatum vocatur: quæ vox, non minus quam Vortomnus & Fortuna, de Cimbrico fonte manat; contra omnino atque illi arbitrantur, qui eam à *Fort* deriuant. *Dat* enim idem est quod comprehendo; à quo *Datdom* / sicut à *Dat* *Datdom* / pro comprehensione, qua Deus omnia potenti sua manu suspensa tenet. F A L K E N B. Agnosco carenam Homericam in hac Cimbrica interpretatione; quam infinito lubentius amplector, quam eorum commentum qui à *For* Fatum deducunt.

Fatum unde dictum.

G O R O P. Sed hæc obiter, nunc ad Vortomnum reuertamur. Annius Propertio credens, Vortomnum, à vertendo se in varias formas dictum esse, ex hirco suo Thalmudista nescio quas nugas emulget, Vortomnum aienis Aramæis Vadimona dici; eo quodd vado apud eos idem sit quod Latinis verto. Non quæram hic quos Aramæos dicat: ego certè nec à Syris, qui ab Aram Aramæi dicuntur; nec à Scythis, qui & ipsi Aramæi, sed alia ratione, vocantur, vado dici credo pro verto: hoc scio, quod Annius hoc loco *וַדִּימוֹן* id est mentitus sit, & si Hebræum vocabulum vadimon esse velit, quod nihil aliud sit futurum *וַדִּימוֹן* quam mendacij simulacrum, quod hic nobis Annius erexit. Videte obsecro egregium Thalmudistam, qui ex mendacij signo Vortomni signū fecit. Non contentus tamen ipsi mendacio statuat dedicasse, adiecit, Proto idem *Ægyptiis* notare, quod Latini verto dicunt: atque hinc Proteum eundem esse cum Vortomno & Vadimone. Hoc demū est vocū rationes inuenire, hoc scitè artificiosè que mendacia contexere. Proteum *πρωτο* *πρωτο* *πρωτο*, siue primam materiam esse, atque de eius potentia Idortheam educi, in Niloscopia tradidi; quod vos, si id clariùs discere velitis, amando. At quid Vadimon significet in prima Hetruscorum lingua, hic explicare conabor. *Dat* idem esse quod comprehendo vel apprehendo, vobis notū. Hinc *Dat-oz* apprehēdo auriculā: Or enim auris, vt scitis, à quo Latinorum Auris. Ex *Dat-oz* Latini fecerunt Vador, mutata tenui in mediam; quod verbum vt notæ est significationis, ita hæctenus fuit originis ignotæ.

Proteus.

Vadimon deus quis sit, & unde dictus. *Dat*. *Or*. *Auris*. *Vador*.

Seruius

Seruius auctor est; auriculam memoriæ, vt frontem Genio, digitos Mineruæ, genua misericordiæ, cōsecratam esse. Quamobrem qui in ius quempiam vocabat, auriculam eius apprehendebat, ne obliuisceretur: & vnà etiam præsentium quempiam antestabat, cui item auriculam apprehendebat, vt memor esset alteri diem dictum esse, quo se apud iudicem sistere deberet: huc allusit Virgilius,

Cum canerem reges & prælia, Cynthius aurem Vellit, & admonuit: pastorem Tityre pingues Pascere oportet oues.

Auriculam apprehendere. *Aurem velere.*

Horatius ipsum hunc in ius vocandi ritum ad verbum expressit:

Quò tu turpissime, magna Exclamat voce, & licet antestari. ego verò Oppono auriculam. rapit in ius.

A. *Dat* sit *Dast* pro firmiter comprehenso: hinc Vas is Latinis dicitur qui pro aliò teneatur: quam vocem malè deriuant à vado, cum cuius & significatu ex diametro pugnat, nec tempore consentit, quod in illo breue, in hoc longum. Iam Vadimon is est qui auricula apprehensa quempiam monet, vt se apud iudicem sistat; à *Dat*, & *Dan*, è quo *Mon*æo Latini fecerunt, rem pus quod in *Dan* longum est, malè corripientes. Vadimonium igitur est satisfactio eius qui per auriculæ apprehensionē monitus erat, vt se iudicio sisteret, in qua voce, o longum ex vocali longa a mansit. Nec mirū, ex *man mon* factum esse, cum Allemanni quoq; pro *man mon* dicant, dum Lunam significare volunt. Quis itaq; Deus apud Hetruscos Vadimon fuerit, ex hac interpretatione coniectare licet: is haud dubiè qui vadimonis præsidebat. Sacrosancta enim vadimonia esse voluerunt primi Reipublicæ conditores; præterea quodd ad pacem conseruandam nihil æquè necessariū sit, atq; eum qui in ius vocatur, obedire, ne quotidianæ rixæ & pugnæ oriantur, & præterea ius ipsum, quod sanctissimū est humanæ societatis vinculum, contemnat. Hinc grauissimam oportuit esse causam ob quam vadimonium defereretur. Quis verò alius & vadimonij non præstiti & iudiciorum contemptus vindex erit quærendus, quam ipse ignis infernus, in quo omnia scelera, & præsertim ea quæ in remp. committuntur, sunt punienda. In hunc Herus Armenius tyrannos & tyrannis similes conici vidit, vti Plato in Republica sua exponit; hac sua appendice indicans, nullam humanam societatem satis tutam esse, nisi tormentorum in futuro sæculo metus eam cōseruet. Vadimon ergo deus erit, nefarios & scelestos homines subterraneo igne torquens. Quamobrè maximè circa lacus vel bullientes vel sulfur spirantes colebatur; quodd horum monitu, ignis inferni in mentem veniret. Hinc lacui cuidam paruo in agro Amerino sulfur exhalanti datum nomen Vadimonis, in quo insulas natate, & Plinius commemorat, & eius nepos in epistola quadam copiose eleganterque depingit. Titus Liuius tradit ad Vadimonis lacum Hetrusco exercitum in extremo periculo legisse: ex quo loco colligi posse videtur, non cum solum lacum Vadimonis fuisse nuncupatum qui à Plinius describitur; sed illum etiam qui apud Viterbium sulfureis aquis bullit, ad quem propius ea videtur spectare quæ de proelio illo narrantur quodd ad Longulam est commissum. Ad has igitur bullientes aquas sacrata, vt Liuius inquit, lege exercitus ita est coactus, vt vir virum legerit, & ita alij se addixerit, vt nisi egregium se virum in proelio præstitisset; caput suum infernis ignibus deuoueret. atque hoc illud est quodd copias sacrata lege coactas esse dixit, in quibus nimirū omnes ea conditione & eo sacramento coissent, vt nisi sese in proelio sisterent, atque patriam defenderent, infernis se tormentis cōsecrarent.

Dast. *Vas*, *vadis*.

Dan sine *Dan*. *Mon*æo, *es*, *er*, *æ*. *Vadimonij*.

Dan.

Vadimonis lacus.

Verum quodd commentum hoc meum probabilius reddam, quædam in mediū adducam de diis Palicis, vetustissimis illis quidem, sed non minus quam ipse Vadimon hæctenus ignotis. Virgilius Palici meminit libro *Æneidos* nono:

Quem miserat Arcens Eductum Martis laco Simathia circum Flumina, pinguis ubi & placabilis ara Palici.

Palici dij.

Macrobius de Palicis diis Virgiliani versus occasione diligentissimè veterum sententias collegit, sed eorum omnium verba desiderantur. Diodorus Siculus libro Bibliothecæ vndecimo de Palice vrbe à Ducetio cōdita tractans, templū Palicorū deorum antiquissimum fuisse scribit, & in eo crateras, siue exiguos & angustos lacus perpetua feruentiū aquarum

aquarum scaturigine, non secus atque lebetes super igne magno fremitu in sublimē ebullientes; & quod mirabile admodum est, nec effluentes vñquam, nec deficientes; odorem autem spirare sulfureum, & eum quidem vehementem: ad hos iuramēta fieri tanta religione, tanto metu, vt vix quisquam vñquam deprehensus sit non stetit iis quæ hīc iurasset. Macrobius fabulam adiecit, Thaliā, nescio quam, ad Simæthum in Sicilia fluuium à Ioue compressam fuisse, atque eam metu Iunonis optasse, vt sibi terra dehisceret; quod & factum fuisse, & post, cum tempus partus adesset, infantes è terra produsse; qua de causa, quod in lucem redissent, *ἄπο τῆς πάλιν ἡμετέρας* dictos esse Palicos. Horum tam celebrem apud Græcos famā fuisse, vt Æschylus, vt Callias, vt Polemon, vt Anaxagoras eorum fecerit mentionem. Quod si quis peierasset per hæc numina; vel vitam, vt Macrobius ait, vel oculos, vt Diodorus scribit, amittebat; atque idcirco crateres implacabiles vocabantur. Quamobrem nescio an apud Virgilium legendum sit: *Pinguis vbi implacabilis ara Palici*. Quamquam & exemplaria omnia aliter habent, & Seruius aliter exponit, placabilem Palicum dictum aiens, quia cum primum humanas hostias sibi postularer, post aliis quibusdam sacris fuerit contentus. Ego, si *placabilis* legendum sit, id voluisse Virgilium credo; facillimum Palicum esse ad mitigandum; quod non aliud poscat, quam veritatem atque fidem, quam non difficile sit seruare. Macrobius crateras hos Dellos ab incolis vocari scribit: de qua voce mox id collegi, vetustissimum hunc ritum apud Siculos fuisse, atque ad eò ab ipsis Ianigenis inductum. *Delli crateres*. *Dellen*. *Dallen*. *Dellen* apud nos, siue *wallen*, ebullitiones appellantur, vnde articulo præfixo, *De wessen*, & exempta littera qua Græci & Latini carent, *De essen*, & *Dellen*, è qua voce Dellos fecerunt, ignorantes sese non aliud dicere, licet vocabulo corrupto, quam bullitiones. Latini ab eadem voce *Dallen* Bullio fecerunt, mutato duplici Gamma in Beta. Qua verò de causa Palici dicti sint dij his bullientibus crateribus præfidentes, ex eadem lingua è qua *Delli* venerunt, petendum. *Dai* idem est quod *satisfacio* & *soluo*: *Lie* æquum notat: hinc *Dai-lie* æquum persoluens. Sunt itaque Palici dij æquitatis custodes, petiuosos ea pœna afficientes quas eos luere æquum est. Ex eadem profectò ratione, & eadem prischorum hominum fide, & hæc, & Vadimonis religio originem duxit; ex eo nempe, quod omnia periuria, omnia scelera, quantumuis occulta, subterraneis ignibus puniendi crederent; atque idcirco ad sulfuratas aquas iurabant, non aliter verba concipientes, quam si dicerent, Si sefellero, Deus me flammis puniat infernis, & sceleri meo iusta tormenta soluat. An non videtis, quam rectè dij Palici vocentur, qui par pari reddunt; si de Cimbrica lingua vocabulum interpretemur? Fabulæ autem Græcorum sua etiam asseri potest tum ratio, tum vetustas; si dicamus, Thaliā è Ioue concepisse Palicos; id est, Deum ex penu suo, è quo omnibus pro meritis paria facit, Palicos protulisse, ministros nimirum ad iusta præmia persoluenda. *Talen* enim & *Betalen* persolvere significare, non est quod vos doceam: à qua voce *Talia* fortasse nominata mater omnis iustæ solutionis, quam sub terra maximè ius suum exercere Platonicus tyrannorum carcer docet, qui iniquorum hominum sceleribus iustas pœnas æternis ignibus infligit.

PALICVS igitur & Vadimon non longè dissident; eo quod ille nomine suo profiteretur, se talionem redditurum; hic moneat, ea seruanda quæ iuris sunt, & ciuili societatis; & quemadmodum qui memorem quemquam esse volebat, auriculam vellere consueuerunt; ita Deus etiam Vadimon potest vocari, quia nos monet, se nos comprehensurum & collocaturum in flammis æternis, quorum memoriam feruentis & sulfuratæ aquæ fugerunt; hæc ipsa de causa Vadimoni consecratæ. Quisquis ergo Vadimonis lacum iuramenti dedicauit; hoc ipso monuit, nos tartareis ignibus corripiendos esse, si fidem frangamus. O bone & iuste Vadimon; qui apprehensionis æternæ nos mones! O Palici iustissimi, qui par pari soluitis! quam optandum esset, vos semper omnium auriculas vellere, & admonere, implacabilem Dei iram omnibus sceleribus, quantumuis occultis, igneos tortores & vtrices flammæ adhibiturum; nec illas quidem temporeas, sed sempiternas. Vtinam impij homines & athei, quorum numerus, pro dolor, indies magis atq. magis increscit, hæc expenderent, viderentque, quam vetustissima Italiæ religio cum Christiana veritate quadret. Nōne in Vortumno inuenimus, patrem nostrum in cælis habitantem? Nōne eundem animaduertimus nullum habere personarum discrimen, sed ex æquo omnium & singulorum personas sumere, quo ex æquo omnium

Thalia Palicorum deorum mater.

Delli crateres.

Dellen. Dallen.

Bullio.

Dai. Lie.

Thalia unde dicta. Talen. Betalen.

omnium labores & studia promoueat atque fortunet? Nōne rursum deprehendimus eandem esse de pœnis apud inferos & veterum illorum patrum, & Christianorum sententiam? Verum iam satis de Vadimone; cuius longè aliam considerationem; quam Vortumni esse, nunc vobis puto liquere.

Nec verum magis est, Vortumnus eundem esse cum Iano; quod Annius futilibus quibusdam conclusiunculis collegit, quam cum Vadimone & Proteo. Cum enim clarum sit, Ianum à *San*/id est, ab eundo dictum esse; longè angustius & arctius vis eius conclusa est, vt pote ea quæ non longius sese porrigat, quam euntibus conueniat. Potestas enim illa diuina quæ iter facientibus præsidio est, primum hac nomenclatura denotatur à qua ad Iapetum transiit, propter insignem itinerum tum frequentiam tum felicitatem. Quamobrem vt hæctenus quoduis opus facienti dicimus, *God voyt in*; vel, quod idem est & visitatus, *God voyt in*; pro eo quod Latinus diceret, Deus te promoueat vel prosperet: ita quopiam eunti ad hunc modum bene precamur: *Sint Ians gelep ende sint Gertrous min sy met in*; id est, Sancti Iani ductus & sanctæ Gertroudis amor sit tecum. Sed nostrates vetustæ huius consuetudinis originem ignorantes, Iani nomen ad diuum Ioannem transtulerunt; & Gertroudis ad diuam Gertrouidem; haud secus atque factum monstrauit in Aduaticis, Walburgim, qua Pallas apud veteres notabatur, ad virginis cuiusdam Christianæ in diuorum numerum relatæ nomen transiisse. Fuit hoc Christianis doctoribus sollempne, vt antiquas superstitiones quas hominum animis penitus euellere non possent, eas ad Christianum ritum accommodarent; quod & hīc contigisse, animaduerto. Video enim olim dici solere, *Sant Ians gelep*; pro Iani deductione; cui addebant amorem Gertroudis, quæ dea erat fidam custodiam præbens qui querendæ alicuius rei gratia quopiam proficiscebantur. Neque enim apud Christianos hæc vox nata est; sed de Christianorum maioribus ad Christianos venit. Verum quia ante religionem hanc susceptam id genus voces diuinis potestatibus primum datæ ad fœdam idolomaniam degenerarant; Christiani antistites eas ad ritus suos traduxerunt. Quia igitur Ioannis & Iani nomenclaturæ non multum differrent, præsertim si morè Hebræorum Iehan pronuncietur; honores Iani ad diuum Ioannem denotarunt. Hinc antiquitarum imperiti frustra quærent, quid factum sit, vt diuus Ioannes Baptista itineribus patrocinetur; cum vir ille minimè consueuerit in vita sua peregrinari, sed perpetuò manserit in quadam solitudinis ad Iordanem parte, ad quam omnes discendi causa confluxerunt. Non à Ioanne profectò, sed à Iano, consuetudinis huius ratio profluxit, quem scimus à vetustissimis euntium patrocinio præfectum fuisse. Eadem de causa Artemisia vocata est apud vernaculos nostros herba sancti Ioannis; quia videlicet eodem nomine Ianum & Ioannem nominare consueuerunt. Hanc ferunt habere occultam facultatem, vt si quis eam secum ferat, is nullo eundi labore sit defatigandus: atque hac de causa Cimbri eam *Biuoet* nominarunt; quasi dicerent, hanc singularem vim à Deo obtinuisse, vt pedibus euntium sit adiumento; quod ipso nomine *Biuoet* præfertur, ad verbum significante id quod pedibus adest & opitulatur. Est quidem huius herbæ mira quædam & nobilis vis ad partus, & omnia ea quæ partui plerumque solent obstare, profliganda: atque idcirco ab Artemide sortita est nomenclaturam; quoniam ei hæc à Deo potestas sit tributa, vt parturientibus & suppetias ferat, & omni modo præsit: qua de causa Ephesia quoque dicta, quod in ea vrbe templum Dianæ omnium celeberrimum viseretur. Verum aliam habet facultatē singularem, quæ hominū ex itinere lassorum pedes sic recreat, vt nihil in rerum natura reperitur quod ei sit conferendum; à qua & nomen nostrates dederunt, & eam Iano itinerum ac peregrinationū patrono dedicarunt. Ego sanè non semel, nec in vno id sum expertus, eo maximè incitatus, quod & nomen nostras, eas indicaret vires, & præterea Iano à prisca auorum maioribus fuisset consecrata. Quisquis pedes defatigatos habet, huius decocto eos foueat & lauet, atque tam præsentem eius vim cognoscet, vt postridie non plus sit sensurus lassitudinis, quam si nullum iter confecisset. Iano itaque à Ianigenis multo antè fuit consecrata, quam diuus Ioannes in Iudæa vel Christum adesse prædicaret, vel ex Elisabetha nasceretur: sed quia ex Iano indocta & supersticiosa posteritas idolum sibi finxit, quod vesana mente adoraret; Christiani cacodæmonis honores ad Ioannem transtulerunt, Artemisiam diui Ioannis herbam nominantes.

Hinc

Iani nomen ad diuum Ioannem transtulit. Gertroudis. VWalburgis. Superstitiones antiquæ ad Christianum ritum accommodata.

Ioannes Baptista quare dicitur itineribus patrocinari.

Artemisia quare vocata sit herba sancti Ioannis: et eius varia facultates; Buiuoet.

Ephesia Artemisia.

Hinc consuetudo inualuit, vt ad huius diui natalem omnes sese artemisia cingerent, necdum omnino veteri abolita superstitione, qua credebatur, hanc herbam carimonis quibusdam & carminibus Iano consecratam, eam nancisci facultatem, vt homines toto anno à Lemuribus & dæmonio meridiano itinera obsidentibus redderet securos. Hinc & illud factum opinor, vt nusquam gentium Iani nomen, quàm apud Cimbrs, sit frequentius; qui omnes quibus Ioannis nomen in sacro fonte datum est, Ianos vocant; quos Allemanni Hanfos dicunt, ad Iehan vocis Hebraicæ posteriorem syllabam propius alludentes. Quòd verò Gertroudis amorem, dum ad iter accincto bene precamur, adiciamus; id inde est, quòd non solum faustum ei iter optemus, sed ipsam fidem etiam oremus; vt citra fraudem, citra rixam, citra pugnam, id quod desiderat, adipisci possit: atque adeò sanctè hunc morem apud patres nostros obseruatum memini, vt discedentibus semper poculum præbiberetur, quod à Iani deductione & Gertroudis amore nomen haberet; nec fas esset abituro antè iter ingredi, quàm æquali haustu eidem numinibus sacrificasset. Ex hoc ritu satis perspicuum esse puto, aliud Vortumni, aliud Iani nomine indicatum fuisse: & hoc quidem nihil aliud significare, quàm diuinam potestatem iter facientibus opulantem; illud verò Deum omnium opera promouentem.

Nunc igitur ad illud quòd se Thuscum esse dicit, & focos Volfinios deseruisse. Ianus ita totam Hetruriam videtur distribuisse, vt aliud in aliis ciuitatibus fieret atque exerceretur: & apud Volfinios quidem has præcipuè Reipub. partes constituisse, vt pueri & adolescentes apud eos omnibus iis formarentur, quæ ad communem salutem pertinerent. Quamobrem eum locum delegit, qui & saluberrimus esset & amoenissimus, & ad omne exercitationis genus maximis naturæ dotibus accommodatus; tum etiam magna omnium rerum copia, præ ceteris Hetruriæ partibus, insignis. Certè si quis Volsenæ, vt nunc castellum in Volfinij ruinis ædificatum vocatur, consideret; non poterit non fateri, hunc locum vel ipso Helicone & Parnasso Musis esse conuenientior; nec deesse quicquam, quod ad studiosorum commoditates facere possit. Vinum est præstantissimum & copiosum ad hunc lacum, cui incumbit, ad quem hac ætate mons Flaconus suauissimo Bacchi liquore celeberrimus est non apud Italos tantùm, sed apud remotissimos etiam Germanos. Nec deest olea, tam hoc agro gaudens, vt Plinij testificatione, post primum plantationis annum fructum producat. Non video sanè vbi Pomonæ maritus, vbi poëtarum chorus Baccho facer, vbi Minerua oleæ inuentrix lubentius aut velit aut possit habitare. Iam accedit & illud, quòd à mari satis longè abest, quod omnium morum corruptelam per mercatores dedecorum pretiosos emptores solet importare: & quamuis hac mala contagione careat, habet tamen eam commoditatem, vt non secus atque in mari, iuuentutem liceat nauali instruere disciplina. Est præterea silua non exigua, Iunonis olim lucus, iucundissimum æstatis hospitium, ad quod non dedignentur ipsæ Nymphæ cum Satyris venire, præsertim si vitis vicinæ liquor non desit, quo crediderim vel ipsum Silenum posse vinci, vt omnium rerum originem & semina suauissimis versibus exponat. His de causis Ianus videtur hunc locum delegisse studiosorum vniuersitati, & nomine fausto Volfinium nuncupasse: quod vocabulum compositum est ex *Vol*/ quo plenum, & *Sin*/ quo sensus, ingenium, & intelligendi facultas denotatur; ita vt *Vol-sinum* nobis idem valeat, quod Latinus diceret, plenum sensibus, ingenijs, & intelligentia. Apra & congrua prorsus nomenclatura ei ciuitati in qua totus omnium scientiarum orbis absolueretur: Et eo etiam liberalium disciplinarum scholis conuenientior; quòd *Sinum* etiam pro iis vsurpemus, qui ingenio, & sollertia, & omni cogitandi, inueniendi, iudicandi quæ facultate plurimum pollent: qualium illic magnam copiam esse oportet, vbi Musis & Apollini perpetuo est operandum. Monebatur itaque ciuitas ipso suo nomine, vt quàm plurimos ingenio & eruditione præstantes viros magna cura conquireret; quo pueri statim à teneris vnguiculis ea discerent, quæ nec dediscenda postea essent, & firmum iacerent optimæ Reipub. fundamentum, in recta huius ætatis informatione maximè constitutum. Annus ab Hebræis vocabuli natales mutatur, quasi *Vol*, à נול, quod idem est quod consenuit siue inueteratum est, deduceretur: atque hinc nescio quas aniles nugæ sibi fingit, quibus ad ceteras eius insanias relegatis, nostra persequamur. Ex *Vol-sin* itaque Volfinium nuncupa-

Yanz.

Volfinium locus saluberrimus & amoenissimus in Hetruria, Musis maximè conueniens, & prima disciplinarum sedes. Flaconus mons.

Volfinium unde dictum. Vol. Sin.

nuncupatum, in Hetruria prima fuit disciplinarum sedes, è qua doctissimus quisque ad Reip. gubernacula accersebatur. Quoniã ergo pueri omnium eorum quæ ad communè & priuatam hominum salutem spectant, hic rudimenta capiebant, & primos ad maiora progressus exordiebantur; voluit Ianus Vortumni signum in media vrbe collocare; quo omnes hortaretur & commonefaceret, Deum esse in omnium studiorum laborumque initijs pia mente orandum, vt quod aggredierentur, felici successu prosperaret.

Idem aliam urbem constituit; summam totius Thuscorum regionis curiam, cui quia omnes magistratus, non fauoris suffragijs, sed iuxta cuiusque eruditionem constitui vellent, vt nimirum is honoratissimus esset qui plurimum scientia valeret; Vetulonia nomen dedit, voce deducta à *Vete-lon* qua composita dictione, scientiæ præmium nobis signatur. de hac Silius libro octauo:

*Maoniaq; decus quondam Vetulonia gentis:
Bissenos hac prima dedit precedere fasces,
Et iunxit totidem tacito terrore secures.
Hac altas eboris decorauit honore curules;
Et princeps Tyrio vestem prætexuit ostro;
Hac eadem pugnas accendere protulit arè.*

Quo loco hæc vrbs olim fuerit, non video constare inter scriptores: plerisque tamen placet, Viterbum è Longhola Vetulonia, & Tyrhæna Volturna à Desiderio factum esse: qua de re cui ægroti veteris somnia legere iubet, Annium consular, qui mirè se torquet, qua de causa Desiderius urbè Viterbum nominari. Nobis id clarissimè est: cum *Viter-bou* non aliud significet, quàm ampliorè structurâ, quam fecit, dum tria opidula vetusta vno muro cinxit, medijs inter illa spatijs etiam comprehèsis, ita vt nihil opus sit Cabalisticis Annij nugis, qui vt varias de Viterbi nomine opiniones adduxit, ita nõ minus se torfit in F. A. V. L. quas notas in numis Viterbiensibus cudere Desiderius permisit: sed ne in his quidè quisquã inuenit, quòd vlla ex parte ad verum accedat, nedum contingat. Nos necesse non habemus, vt quæ recèntiora sunt Ogygijs illis tēporibus, examinemus: satis est Vetuloniæ antiquè nomen ad originè eam vocasse, de qua patet, magistratus apud Hetruscos scientiæ, non nobilitatis aut diuitiarum præmia fuisse. Suspicio interim Longhulam principio vicum dumtaxat Vetuloniæ suburbanum fuisse, in quo ei qui magistratum erat initurus, insignia darentur, quibus ornatus Vetuloniam intraret: *Locin* enim præmium; *gehul* / & *syncoptròs q' hul*, inaugurationem significat, qua quis sollempni ritu publicam aliquam accipit potestatem. Quo fit, vt minimè illi aberrarint, qui Longhulam Hetruscorum cum aspiratione in secunda syllaba scribendam esse iudicauerunt; tamen si causam, cur ita faciendum esset, ignorarent. Volturnam dictam opinor concisè à Voltorrena, quòd plena turribus esset, ad armamenta & bellicas machinas, tum etiam ad vrbs principis conseruandam securitatem. Vetulonia igitur nomine suo nobis indicat, verum id esse, quod cum alij, tum Diodorus scribit, maxima non ceterarum modò, sed militaris etiam disciplinæ apud Tyrthenos præmia fuisse constituta, in quorum monumentis id præcipuè notandum, & omnibus principibus & ciuitatibus pro illustrissimo exemplo habendum, maximos & splendidissimos honores non diuitijs, non generis nobilitati, non fauori, sed soli scientiæ & peritiæ reipublicæ domi forsque bene administrandæ deberi. O vtinam totus Christianus orbis Vetuloniæ nomen mereretur: non haberemus has quibus opprimimur, calamitates, & totarum regionum euersiones. Sed valeant lamenta nihil profutura. Quandoquidem igitur & aliarum artium, & huius ciuilibus scientiæ, qua homines apti sunt ad pacis & belli clauum bene tenendum, apud Volfinios fundamenta iacerentur; rectissime piissimeque factum est, vt apud eos maximè Vortomnus inuocaretur; quòd puerorum studia sic promoueret, vt inde quàm plurimi summis honoribus digni existerent.

Quando autem signum hoc Romam, & à quo translatum sit, non admodum liquere cerno. Propertius Annio sic videtur intelligendus, vt à Lucimone, suppetias Romulo ferente, voluerit allatum fuisse; propterea quòd dicat, Vortomnum inter prælia non pœnitere Volfinij deserti: quæ tamen verba sic capi possunt, vt dicat, se non pœnitere inter prælia quòd Romam cômigrarit; eo quòd Romanorum virtus in prælijs maximè eluxcrit,

Ee eluxcrit,

Vetulonia. Vete.

Viterbum.

Viter.

Longhula.

Locin.

Gehul.

Volturna.

Vortumni signum quando est à quo translatum sit ex Hetruria Romam.

eluxerit, & summam ostenderit vrbis prosperitatem. Per me tamen licet, vt ad prelium contra Sabinos in foro commissum dumtaxat referatur, quod Vortomnus se dicit vidisse: quod Annius ad signum militare Lucumonis refert, quasi tum in foro non steterit Vortomni signum, sed tantum in pilo fuerit portatum: quod tamen non satis aptè cum persona statua; cui verba sua Propertius tribuit, congruere videtur. Vt cumque res habeat, quisquis primùm Romam Vortomnum ex Hetruria transtulit, is vnà videtur imperij maiestatem transtulisse, & eam Romæ firmasse. Quamobrem minimè absurdum sit cogitatur, vel à Iano, vel à Saturno ipso illo tempore translatum fuisse, cum instinctu diuino Saturnia acciperet superbam Romæ nomenclaturam, qua potentia illa vrbis portendebatur; de qua se præ ceteris omnibus quæ vnquam forent vel fuissent, iactare posset, *nom* enim idem est quod iacto potentiam in quavis re perficienda; deriuatum à *nom* vocali breui, quo is significatur cui magna est facultas ad quiduis promptè peragendum: quæ vox composita est à *na*, quod est citò & promptè, & *om* id est, circum; quasi diceretur, is qui promptè se circumagit: qua re, cum ad alia, tum ad militaria facinora maximè opus esse, quiuis intelligit. Hinc *na om*, & elisa priori vocali *nom*, promptus robustusque dicitur: cui versà vox contrarium signat de peculiari linguæ nostræ formatura. *Mor* enim ad omnem pertinet imbecillitatem: vnde *Mor* à *Mor* & *haur* illud dicitur quod imbecille est ad tactum, quod Latini molle dicunt. Hinc item *Mort* pro violenta occisione; qua robur omne tollitur: ab eadem origine *Mort*ter, quod in minimas partes est contractum: Latini *Morb*um & *Mortem* ab eadem radice duxerunt. A *nom* fit *nommet*, pro eo quod est robuste & celeriter sursum & deorsum vtro citroque sese mouere: à quo *nommet*, & *nommeter*, pro iis, qui viribus his præditi sunt. Ab eodem *nom* & *fer*, quo pulchritudo notatur, fit *ferrom*, & exempta per syncopen syllaba, *ferrom*, pro eo qui Græcis dicitur *ναλός* & *αγαθός*. Herodotus pro *ferrom* *αγαθός* dixit, propterea quod digamma careret; & ypsilon interiecit, quod Græcis frequens est. Ex iis igitur quæ mihi dedisti principiis, perspicuè efficitur, *nom* nostras esse vocabulum, & à nostra lingua ad alias transiisse; quoniam in ea & prima radix, & vocis fabrica ipsi peculiaris inuenitur. Græci *populus* pro potentia simpliciter posuerunt: nobis, dum vocalis longa est, non potentiam, sed iactantiam vitium designat: ita vt Roma de Ianigenarum lingua nihil aliud significet, quàm urbem hanc talem fore, vt se de potentia sua præ ceteris omnibus iactare possit. Verùm *nom* aliud præterea notat, illam nimirum lactis vaccini partem quæ pinguisima est, butyri & casei naturam continens. Hinc fortasse fabula, Romam à Romulo conditam, & Romulum educatum fuisse non matris suæ lacte, sed robustissimo lactis vaccini alimento, quod Lupa, id est, publica meretrix ipsi dabat, non de suis mamillis, sed de vaccinis vberibus multum. Quia enim ex assiduo lactis bubali usu, è quo nec caseus, nec butyrum sit extractum, corpora fiunt robustissima; non malè à *nom*, *nom* pro lacte est usurpatum. A *nom* pro lacte Roma Latinis venit in usum, pro mamma, Lupa porro meretrix est, non à fera quadrupede ita nominata, quod quidam putauerunt; sed à *Lui*, quo populus significatur, & *pat*, quod est contentum reddo. *Lui*pat igitur, vnde Latini Lupa fecerunt, ea dicitur quæ non vnus, sed totius populi libidini satisfacit. Quicquid igitur de Roma & Romulo scribitur, id totum ad fabulas & allegoriam referendum existimo, cum Romæ nomen non à Romulo aliquo processerit, sed apertè Cimbricam habeat originem, perinde atque Baia, Gaeta, Circe, & quamplurima alia vocabula vetusta. Sollemnis hic est ignorantia prætextus, de vrbis nomine conditorem comminisci; quod nemo melius nunguendo Annio præstitit. Cum primum regem ignorarunt, Romulum sibi finxerunt, & sane omnes Romanorum reges Romuli poterant vocari, ob eam causam, quod *nom* iussit, vnde Romulus, eum significet qui Romæ vrbis custodiæ est inauguratus. Neque enim Romum primum regem esse voluerunt, eo quod hoc nomen nihil præter potentiam iactantiam notaret: Romuli verò appellatio illud adderet, vt legitimo ritu ad summam potentiam euectus videretur. Sed de his aliàs fortasse latius: nunc non alio hæc de Romæ nomine attuli, quàm vt verisimile fieret, eodem tempore Vortomni signum translatum esse, quo Saturnia Romanum nomen accepit.

Saturnia Roma nomenclaturam accepit diuino instinctu.

Roma vnde dicitur. nom. nom. na. om.

Mor. Mort.

Mort.

Mort.

Mors.

nommet.

nommeter.

ferrom.

ferrom.

nom.

nom.

Roma.

Lupa.

Lui.

pat.

Romulus.

nom.

ult.

PERGAM modò, & ceteros recitabo versus: quos eo breuius percurram, quod ex iis quæ modò dixi, satis eluxerit, tum quis sit Vortomnus, tum in quo Propertius errarit. Quid quod & hi versus clari sunt, & modò expositi, & suæ restituti integritati,

*Hæc me turba iuuat, nec templo lator eburno:
Romanum satis est posse videre forum.*

Videbatenim forum Romanum è vico Iugario, è quo omnem felicitatem vrbis adspirabat.

*Hæc quondam Tiberinus iter faciebat; & aiunt,
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vortomnus verso dicor ab amne deus.*

Inter duas causas quæ vulgò ferebantur de Vortomni nomenclatura, hæc prior est in eo posita, quod dicerent, deum à conuerso flumine dici, cum Tiberinus duorum infantium Remi & Romuli misertus vndas suas retraheret atque retrò verteret, ne Maortium semen summergeret. Fabula de expositis infantibus, lippis & tonforibus nota. Tiberini potius nomen examinemus, de quo alij aliud prodiderunt. T. Liuius Albulam Tiberini nomen accepisse dicit à Tiberino rege, Capeti apud Albanos successore, qui in hoc flumine fuerit submersus: quod Seruio non placet. Virgilius regem quidem Tiberim facit, sed vbi regnarit, non addit:

*Tum manus Ausonia; & gentes venerè Sicanae,
Sapius & nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperq; immani corpore Tibris,
A quo post Itali fluuium cognomine Tiberim
Diximus, amittit verum vetus Albulæ nomen.*

Sunt qui hunc Tiberim Thusciam regem fuisse dicant. Seruius totus est in fossa quadam Syracusana, quæ à captiuis Atheniensibus & Afris facta, Tibris dicta sit, quasi *Theris*, quia per contumeliam hostium esset excauata ad urbem muniendam: ad quod figmentum nimio plus sibi placens, mihi nimis valdè frigans, Theocritum aduocet, quem equidem Thybridos in primo Idyllio mentionem fecisse scio, Tibridos non recordor. Fuisse verò Sicanae gentes tam ab omni ratione alieni, vt flumen ammissimum & profundissimum, vel fossæ intra Syracusana mœnia à seruis factæ compararent, vel per contumeliam putarent nominandum? cum ex omni historiarum memoria discamus, omnes vias à nouis colonis iniri solere, quibus loci numina propitia sibi fore putarent. Nobis tam absurdus & à communi sensu abhorrentibus coniecturis nihil opus est, quippe quibus prisca lingua & perpetua rerum consonantia ipsam ostendat veritatem. Ammianus Marcellinus, de recondita ritualium librorum, vt videtur, disciplina, Romam, si memoria non fallat, non semel appellat urbem æternam: quod et si nec ab hoc, nec ab alio auctore fide digno dictum esset; satis tamen ex ipsis publicis Ianis constitisset, in quibus per quatuor anni partes æternitas semper exprimebatur. Iam quid sibi Anna Perenna volebat, quid perpetuus Vestæ ignis, quid duodecim vultures Romulo adscripti? An hi aliud significant, quàm certa futurorum providentia, cuius vultus symbolum gerit, legitimo & ritè inaugurato Romano imperio duode-

Duodenarius numerus additus Romæ imperio.

*Sed faciat diuum sator, vt Romana per æuum
Transseat ante meos turba togata pedes.*

Clarius id ipse Iupiter Veneri apud Maronem promittit:
Inde Lupa fuluo nutritis regmine letus
Romulus excipiet gentem, Et Mauortia condet
Mænia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.

Hæc de Pontificum scriuiis suppilata esse, quis non suspicetur?

Tempus omnia domat.
 A b eodem ergo, & Saturniæ arcis, & Albulæ fluuij nomen permutatum arbitramur; & illius quidem causam ostendimus, huius iam in manibus tenemus. Tempus omnia domare, nemo est qui nesciat: atque hæc de nota Græco cuidam *ῥεῖος* mandatum dicitur est. quam eandem eius violentiam pulcherrimè Quidius expressit:

Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas

Omnia destruitis, vitiatque dentibus anni

Paullatim, lenta consumitis omnia morte.

Flumina ad præsent.
 Quamobrem qui urbem æternam esse omnibus votis expetebant, illud nomen flumini posuerunt, quo & deum flumini præsentem orarent, ut fluminis beneficio aduersus cariosam vetustatem Romam defenderet, & vnâ ominarentur id quod orafent, sese consecuturos. Nihil profectò est quod opida vel diutius conseruet, vel diruta facilius reparet, quàm magni fluminis & profundi commoda nauigatio, quæ non solum à superioribus locis magnas adfert vitæ commoditates, sed illa etiam per mare suppeditat, quæ vsquam omnino terrarum queunt inueniri. Quis nescit, quantum Londinum Tamesi acceptum ferre debeat, cuius beneficio per tot sæcula regni totius habuit principatum? Sexcenties Antwerpia nomen periisset, nec sciretur nunc, vbi Cimbri Galliam inuasuri impedimenta depofuerint, nisi Scaldis aduersus validos mordacis æui dentes perpetuò urbem defendisset. Quid opus multis in re perspicua? Flumina quamuis non omnia præstare possint quæ ad æternitatem requiruntur, tantum tamen ad eam faciunt, ut vix quicquam inuenias quod par habeat momentum. Cùm igitur vrbi sese perpetuò de potentia sua apud exteros iacturæ æternitatem precarentur conditores, ad eam impetrandam cùm alia quamplurima prudenter pieque cogitarunt, tum eam quoque flumini dederunt nomenclaturam, qua genius eius & moneretur & oraretur, ut ciuitatem contra temporis iniuriam conseruaret. Quid enim aliud est *ῥῑϋερ* quàm is qui contra tempus rem quampiam defendit? Ex *ῥῑϋερ* Latini Tiber fecerunt, ac deinde Tiberis. Ex *ῥῑϋερ*, quod est contra tempus defendere, factus est Tiberinus. Auditisne hîc nihil esse coactum, nihil longè petiitum, nihil quod non mox à quouis intelligatur? Rursus num quicquam potest aptius flumini tribui, num quicquam magnorum aliorumque fluminum naturæ congruentius optari, quàm ut urbem adiacentem importandi exportandique commoditate tueatur aduersus longi temporis omnia consumentis edacitatem? Iam ut annuum perennis ad nauigandum vsus opidis conciliat perennitatem: ita vicissim celebres & florentes vrbes amplissimum nomen fluminibus suis pariunt, pro beneficio accepto maximam nobilitatem reponentes. Videte, quæso, quàm latè pateat hæc nominis ratio, quàmque vel Iano filio vel Saturno patre digna videatur. Videte ex aduerso, nihil absurdius, nihil à sana mente remotius, quàm cogitare, vetustissimos illos aurei sæculi homines fluuiis ad maximos mortalium vsus à Deo Opt. Max. factis & comparatis, nomina infausta & mali ominis aut ad contumeliam, aut ad absorpti cuiuspiam exprobrationem dedisse: quorum illud fatendum esset, si Seruio; hoc, si vel Liuius, vel Virgilio crederemus: cùm certò sciamus, ne ferreæ quidem ætatis hominibus eiusmodi nomenclaturas placuisse. Si miles, si dux mali nominis displicebat Romanis: quæ tandem impudentia est, sanctissimis ipsorum maioribus hanc siue insipientiæ & vecordiæ, siue impietatis inurere notam, ut dicantur amni suo, quem patrem vocant, nomen fecisse tam abominandum? Absit hæc tanta contra maiores iniquitas: quos certò mihi persuadeo non citra magnas rationes prius nomen immutasse, nec vniquam immutaturus fuisse, nisi auspiciatus & felicius indere voluissent.

Tiberis fl. Tiberinus fl. ῥῑϋερ/ῥῑϋερ.

PRIOR

PRIOR appellatio de fluminis natura processit, quæ talis est, ut non antè contentus diuitiis suis sit, nec antè in mare eas deponere velit, quàm multis fluminibus receptis, plurimis torrentibus ad immensum auctus & ipse plenus intumescat, & omnes planos montium colliumque, quibus coërcetur, sinus impleat, & inundet. Albulæ enim nihil aliud significat, quàm omnia repleo: è quo Digamma in Beta transiens, ut solet frequentissimè, cùm olim, tum hodie apud Hispanos Albulam fecit. Quàm verò alueum suum repleat, Plinius docet, certo argumento colligens, aquarum altitudine nihil cedere Nilo, fluuiorum maximo; quas non mirum est eum habere, cùm infra Arctinum Glauim duo & quadraginta flumina absorbeat, præter fontes & torrentes, quos infinitos eliuu & rupium infractus quibus continetur, effundunt. Verùm primi illi fluminis accolæ, ut in flumine iustam altitudinem & plenum alueum nauigationi per commodum videbant, ita ingentes illas inundationes, & omnes valles & campos vicinos tumido vndarum æquore complentes, non admodum sibi vtilis fore sentiebant: eoque hac quasi obliterata naturæ notatione nomen illud indiderunt, quo solo omnis votorum summa contineretur, vrbs nimirum contra ipsius temporis iniurias defensio sempiterna. Primum ergo Tiber, inde Tiberis, post Tiberis syncopτός fluuius dictus est, & ab infinito significandi modo *ῥῑϋερ* Tyberinus euasit. Quantam verò aliquando plenitudinem aquarum omnibus vicinis campis adferat, Romani huius ætatis norunt, quorum urbem quæ in campo Martio & Varicano maxima sui parte hoc tempore sita est, totam aliquando inundat & replet: tamen duplo nunc altior sit ea planities, quàm olim fuisse videatur. Vidi ipse in foro Romano pauimenta marmorea erui, de quibus coniecturam feci, quantum ex adificiorum ruinis altitudinis solo accreuerit. In campo item Martio, præter ceteras structuras, ipsum Pantheon, & columna Hadrijani, & obeliscorum bases, qui ante Augusti mausoleum olim stabant, nunc iacent; clarissimè demonstrant, quanto altior ab illa ætate terra euaserit. Ad hæc enim superbissima opera olim erat ascendendum, nunc ad eorum pauimenta multis gradibus est descendendum: quæ res coniectandū relinquit, quantam altitudine apud præcos illos & primos vrbs conditores soleat flumen attolli, si nunc etiam in solo tot gradibus sublimiore altissimam aliquando aquarum molem diffundat; ita ut pelagus, non fluuius, esse videatur. Quamobrem vetus Albulæ nomen bene illud quidem indolem moresque fluuij exprimebat; sed eo minus placuit, quòd ominosum & inauspicarum videretur, damni magis quàm vtilitatis habens notationem. Nec existimandum, à colore nomen datum fuisse: tum quia tanto tamque alto flumini, tantumque aliquando pelagus attollenti, diminuens vocabulum minimè congruebat: tum quòd flauus, non albus, cernatur, ut in re oculis subiecta Horatij testimonium omittam. Retuli nunc igitur Tiberino patri has pro aquis suis, quas per triennium bibi, gratias; ut posthac postliminij iure ad veras nominum suorum rationes possit redire, & se à calumniatorum iniuriis vindicare.

Albulæ fl. 301. 302. 303.

Tiberis vesuignatio.

FALKEN. Egregiè. Quin tu potius gratias agis multo maximas Vesuio, cuius beneficio sæpius Græco caluisti. GOROP. Hoc tu vtriusque nostrum nomine facies, cùm æquè, aut magis etiam, optimi liquoris parenti sis obligatus. Sed estne aliud quod in hac mea Tiberis crymologia displiceat?

FALKEN. Id vnum hîc reprehendo, quòd tam diu hanc præcæ Cimbrorum siue Ianigenarum theologiæ medullam, quæ has tibi origines suppeditat, nobis inuideas.

GOROP. Id curat scilicet aut Hippoclidides aut Falkenburgus, quàm mox ego, quibus domi meæ mecum fruor, ea in publicum proiciam omnium pedibus proterenda. Sed hæc erunt, ut Deus volet. Nunc ad historiam quam Propertius hîc indicauit, quam vos melius, quàm ego, recitaretis.

TOTVM illud spatium quod inter Palatinum collem & rupem Tarpeiam iacet, olim paludibus & stagnis scædum erat; Tiberis restagnatione perpetuam illuuiem inueniente. At postquam Romo & Romulo hîc expositis, Tiberis recessu suo benignè locum daret, ne semen scilicet diuinum periret; atque Lupa, quos aleret, infantes haberet; coëpit locus paullatim deficcare: cui hominum quoque curam crediderim accessisse, quæ factum sit, ut vna lata fossa per medium ducta plurimum vtriusque vliginis sit exhaustum. Quod autem hîc habitabilis terræ est paratum, id Thulcis cessisse; propterea

Paludes & stagna int. Palatinum collem & rupem Tarpeiam.

Ec 3 fortassis,

fortassis, quòd hic locus propter fossam quæ in Tiberim ducebat, iis maximè idoneus videretur qui nauali rei & mercatui operam darent, quales Tyrrenos fuisse, paulo antè demonstrauit. Nam totum illud stagnum à Curtio lacu inter Tarpeiam rupem, & Pallanteum, & Auentinum, ad flumen vsque pertinens, non parum utilitatis vrbi præbebat, tum quòd nauigari posset, tum quòd omnes pluuias, omnia excrementa, omnes sordes, omne lutum vndique susceptum in Tiberim exoneraret. Ouidius de lacu Curtio quædam ad hanc rem facientia cecinit, quæ abs te, Falkenburge, velim recitari; eo quòd recentiore habes poetarum quibus cum quotidie loqueris, memoriam quàm ego, quem iam ad triginta propè annos ab ipsorum regione exulare Æsculapius coëgit, ne pili quidem faciens, hanc rationem patri suo semper gratissimam fuisse.

FALKENB. Mihi profectò numquam sic videris medicinam fecisse, vt non aliquando ad florida horum prata excurreris. Quamobrem mallem hac mei interpellatione sermonem tuum non abruptis, quem tantopere cupio continentem esse, vt vix quicquam ausim interrogare. Ne tamen & ipse nunc in mora sim, versus quos memoria teneo, habete:

Hoc vbi nunc fora sunt, vada tenere paludes:

Amne redundanti fossa madebat aqua.

Curtius ille lacus, siccus qui sustinet aras,

Nunc solida est tellus: sed lacus antè fuit.

Qua Velabra solent in circum ducere pompam,

Nil præter salices crassaq; canna fuit.

Sæpe suburbanas rediens conuiuia per vndas

Cantat, & ad nautas ebria verba iacit.

Nondum conueniens diuersis iste figuris

Nomen ab auerso ceperat amne deus.

GOROP. Satis est versuum. Nam hoc vnum volebam ostendi, paludes hic olim fuisse, & in medio earum corruationem aquarum, quæ Velabrum dicebatur, quasi Velabrum, id est, scæda aqua, qualis esse solet tum in paludibus, tum maximè iis locis ad quæ vndique scæda illuuias defluebat. Hac de re Tarquinius cloacam, teste Plinio, hoc ipso loco tantam fecit, vt vehis scæni ea capi posset, in quam ceteras cloacas deriuabar. Bene igitur Tibullus pullam aquam dixit, propter lutum & sordes omnis generis admittas:

At qua Velabri regio patet, ire solet

Exiguus pulla per vada linter aqua.

Non est igitur Velabrum à velatura, vt Varro voluit, dictum; cum remis potius in eo, quàm velis locus esset, vt ipse quoque Propertius annotauit. Neque ab aliis putetis Velabrum nomen accepisse, quàm ab iis à quibus vel Tiber, vel Albula, vel ipsa Roma sumpsit appellationem, in quo nihil mirandum, diphthongum ui in e longum esse mutatam; propterea quòd ea, vt & aliis quibusdã, Latini carerent. Ea igitur parte Velabri qua ficus erat Ruminalis, aqua refluens siccum locum infantibus reliquit, de qua Ouidius:

Arbor erat, remanent vestigia: quæque vocatur

Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.

FALKENB. Satis perspicio, quid Propertius dicat; nec ad eam rem opus est interpretatione tua. Illud mallem nobis ex officina tua Cimbrica depromi, quid Ouidius velit cum sua illa ficu Romula, quam sic antè vocatam fuisse, quàm Romulus illic iaceret, videtur indicare. Et sunt qui, nescio an ex Varronis auctoritate, dicant, ficum hanc Ruminam consistam à pastoribus fuisse, vt ad eam Ruminæ deæ sacrificarent, quo lactis vbertatem auerget. GOROP. Si perspexisses, ipsemet causam explicasses ob quam ficum hanc pastores Romulam appellarint. Modò exposui, & vos mihi negare non potestis, siuom lac integrum, & rotas nutriendi vires retinens, vocari. Ab hac igitur significatione siuom ficus hæc dicta, ob eam causam, quòd esset electa ad lactis custodiam & tutelam; non aliter atque Romulus, dum ab vrbe Roma nomen ducitur, is est qui sollempni ritu electus est custos, & protector Romanæ ciuitatis. FALKENB. Quid ficui cum vaccis, egregiam verò lactis tutelam & prorsus ficulneam.

GOROP.

GOROP. Prisci illi viri statuis non ferè utebantur, ipso etiam Varrone testificato, Romanos plus annos centum & septuaginta, Deos sine simulacro coluisse. Quòd si verum est, quod de Iano & Nocho, siue Saturno suspicandum; illud nempe, nihil ipsis æquè ac purum Dei cultum citra simulacra placuisse, atque hæc præcepta posteris tradidisse, ne Deum vellent aut eius ministros statuis imitari; ne videlicet ab ipso numine, quod non viderent, ad id cultus transiret, quod oculis obiectum esset: qua in re quàm lubricus sit mortalium lapsus, qui necdum intelligit, eum frustra quis suscipiat docendum. Dionysius Halicarnassicus & Plutarchus Numam templa quidem tradunt erexisse, sed nulla simulacra in iis collocaisse: Simulacra verò à Tarquinio Prisco de Græcanica vanitate fuisse Romam primùm allata. FLEMING. Quorsum hæc dicas, necdum video: hoc interim clarè cerno, te tibi ipsi aduersari, si hæc quidem, quæ modò ex his auctoribus adduxisti, vera credas. Quid enim absurdius, quàm docere, Vortomni statuam tempore Romuli in Vrbe collocatam fuisse, vel etiam antea multo steterisse: & modò eos laudare, qui negent Romæ vlla ante Tarquinium fuisse simulacra? Quòd si has mihi tibias consonas ostendes, næ tu te egregium præstiteris musicum.

GOROP. Satis, ita me Vortomnus amet, fuisset, nullam Romulæ ficus facere mentionem; quàm in hanc incidere difficultatem. Verùm quandoquidem vox semel emissæ reuocari non potest: agite, exquiramus aliquid: non quo ego à contradictione liberer, sed quo graues hi scriptores ostendantur à Propertio & Ouidio diligentissimis Romanæ antiquitatis inquisitoribus non dissensisse. Arduum profectò negotium est: vix video, qua parte aggrediendum. Conabor tamen: conatum Vortomnus promoueat. Aio verum esse, ante Græcam Tarquinij leuitatem nulla Romæ Deorum simulacra fuisse. Sed nego, nulla fuisse symbola siue statuas symbolicas, quibus sanæ sententiæ notarentur. Vortomni statuam non semel symbolum vocaui: ac simulacrum esse, id est, effigiem vel similitudinem alicuius referre, id verò numquam vel dixi vel dicam. Diuersa hominum vota diuersis formis indicabat, non ipsum Deum, ad quem vota tendebant: interim tamen hoc monens, Deum nec marem nec feminam esse, nec huic vel illi similem; sed omnibus adesse, ad ea promouenda studia, quibus quisque auxilium eius aduocaret. Præterea quemadmodum prisci homines symbolis eorum quæ agenda esse monebant; ita deinde & licuit & receptum fuit, simulacris & imaginibus, non minus quàm litterarum notis, res gestas representare; non quidem, vt cuiusquam in iis fieret adoratio, aut cuiquam picturæ aut sculpturæ diuinus cultus exhiberetur: sed quo memoria rerum præteritarum oculorum adiumento refricaretur. Vt enim verba & sermones per aures ea nobis significant quæ in alterius mente versantur; ita pictura, siue litterarum ea sit, siue simulacrorum, per oculos suggerit quæ voces aurium medio menti imprimunt. Nihil itaque illicitum aut nefarium est aut in simulacris, aut imaginibus pictis; modò non ad alium vsum accommodentur, quàm ipsæ litteræ & voces, quæ non minus signorum habent naturam, atque illa de quibus disputamus. Qua igitur de causa simulacris & Dei & ministrorum eius veteres illi abstinerunt: Plurimæ sanè rationes adferri possent: quarum apud Plutarchum ea est vna, quòd nefas putarent, præstantiora deterioribus assimilare: altera, quòd Deum non aliter quàm mente attingi posse existimarent. Nos eam primariam & præcipuam dicimus, quòd intelligerent, quàm corporeæ sint hominum cogitationes, quàm omnis nostra corrupta natura à Deo ad creaturas sit procliuis, quàm Damon perpetuò id agat, vt insidiis & fraudibus suis ad idolorum cultum infirmos animos trahat, & à quois potius auxilium petere suadeat, quàm à creatore. Quia igitur hunc periculosissimum & proflus hominum animis lethalem abusum omnibus modis vitandum putabant; malebant simulacra nulla esse, quàm illorum occasione quemquam à vero Dei cultu aberrare. Verumenimverò quia ex altera parte cernebant, homines tam tardos esse ad mentem è corporeis tenebris ad caelestem lucem erigendam, neque vbiq; & semper doctores adesse posse, qui ad diuina incitarent: ad eam ventum est sententiam, vt simulacra quidem nullius erigerent, sed symbola quædam collocarent, quorum ad specu homines monerentur, oculos semper sursum attollendos esse ad Deum omnium creatorem & seruatorem: quorum in numero Vortomni signum vetustissimum in Italia fuisse credo. Græci vetustissimi à Cimbris primis Athenarum & Spartæ conditoribus

Ec 4

ditoribus

Curtius lacus.

Velabrum. Dicitur. Quod.

Pulla aqua.

Romula ficus. Ruminis ficus.

Romulus.

Romulus.

Simulacra Romanis multo tempore incognita. Romam primùm à Tarquinio Prisco allata.

Vortomni statuam symbolum fuisse, id verò numquam vel dixi vel dicam.

Simulacris est imaginibus quomodo vti licet.

Simulacris Dei & eius ministrorum, quare veteres Romani abstinerunt.

Symbola quædam olim à veteribus Romanis collocata. Simulacra autem nullius erecta.

Herm.

ditoribus Hermas retinuerunt, quos ad eum modum formabant, vt quadratæ pilæ caput imponeretur, quo nimirum omnes monerentur, omnem rerum humanarum firmitatem, quam quadrangula figura notat, à capite pendere. Quis enim, cum caput videret, non cogitaret, quod nam illud caput esset, cuius, qui statuum posuissent, in mentem venire vellent. Post cum litterarum vsus latius propagatus esset, sententiæ quædam breues his Hermis inscribentur, vt eas homines ab ipso capite proficisci existimarent. Hinc factum, vt quæ sic vera essent, vt ab ipso omnium capite profecta viderentur, ea Hermæ Trifinegisto inscriberentur; cui hac via multa millia librorum fuerunt attributa: cum tamen nemo vnquam vixerit, quæ libris illis continerentur, ea prorsus esse diuina, & ipso omnium capite digna. *Hæ-man* enim nihil nobis aliud significat, quàm publicum monitorem. At cuius hæ statua monebant? Nempe ipsius capitis.

Hæ-man.
Æthet.

Qua de causa Hermes *Æthet* vocatus est, id est, caput, quod Græci diphthongo hac carentes, Theut dixerunt. Sed de his aliàs, si Hermes ipse volet, magis serid. Ceterum vt omnia in peius ruunt, nec quicquam tam bene est à maioribus institutum, quod non posteritas corrumpat; ex hac statuarum simplicitate prorsus symbolica, & vtilissima, in maximum idolorum Oceanum miseri mortales ceciderunt, tam graui & exitiosa ruina; vt totum ferè orbem secum in præcipitium traxerit; & hætenus, tametsi Christus nos liberarit, non paucos teneat in alta caligine depressos. Nunc itaque liquere puto, quæ simulacra præfci illi reicienda, quas item statuas admittendas iudicarunt: atque hinc concordia existit inter poetas de Vortomno agentes, & inter illos, qui omnes similitudines Dei & Deorum reiecerunt. Reuertor ad ficum Romulam; à qua me diuertistis.

Statuarum simplicitas prorsus symbolica, & vtilissima in maximum idolorum Oceanum uersa.

FALKEN. Nimio citius quàm vellem, ita me, quæ de Hermis ex te nunc primùm audiui, delectarunt. Bone Deus, quàm infinita hætenus in altis tenebris sepulta iacent, de quibus tamen integra volumina sunt conscripta! GOROP. Id paullatim magis senties. Quoniam modò aperui, diligenter cautum fuisse à præfciis sacrorum præfctis, ne rudes animi simulacris adhererent; opus tamen esset aliquo incitamento, cuius auxilio ad Deum adscenderent: symbola sunt excogitata, & in iis etiam plantæ & arbores, in quas diuinitatis aliqua opinio non videbatur casura. Ficum itaque hanc constitutam accepimus, ad quam pastores Ruminæ sacra facerent, ad lactis copiam impetrandam; id est, diuinam potestatem rebus suis adesse vellent, vt lactis abundantiam consequerentur. Quid enim non possit Deus

Ficus tessera abundantia lactis etc.

difficere, vt quauis parte emanaret? Ficus igitur tessera erat, de qua cogitarent, de infinita Dei bonitate non cetera modò, sed ipsum etiam lac proficisci, atque ideo ab eo esse ipsius abundantiam petendam, quam hominibus negaturis non esset orantibus, si arbori quidem tantum lactis concessisset nec roganti, nec sentienti, nec beneficium intelligenti. Fici item lacte, animalium lac coagulatur: qua ratione & illa hominum vota signat, quibus petitur, vt lac plurimum casei & butyri contineat; quæ duo in lacte multo magis experuntur, quàm eius citra hæc copia quamuis profusa. Adiciere possem & alià, sed viranda prolixitas, quam vtut vito, ipsa rerum & copia & diuersitas trahere secum videtur. Romula igitur hæc primùm dicebatur: quia eius diuinæ potestatis tesseram habebat, quæ lacti tum augendo tum conseruando reuera præflet. Vt igitur à Roma ciuitate Romulus; ita à Rooma pro lacte; Romula ficus nomen accepit, sed vtrumque in Cimbrico sermone: cuius quia Itali, qui externa sua lingua priorem loquendi sinceritatem corruerunt, ignari essent; fabulas de Romulo & Romula ficu conseruerunt, incertis tamen auctoribus, an hæc ab illo, an illa ab hoc nomenclaturam haberet. Auctorum certè ingens dissensio in Romulo & Roma nihil certius demonstrat, quàm nihil certi de vrbe vel origine, vel auctore, vel nomine, nec à Græcis, nec à Latinis haberi.

RELECTA igitur hac coniectura, qua putatum est, Vortomnum à conuerso Tiberi dictum esse, ad alteram transeamus, quam sic Propertius exponit:

Seu quia vertentis fructum percepimus anni, Vortomni rursus credidit esse sacrum.

In horum altero, creditur, pro, credidit, legendum existimo, lapsu non admodum difficili, vt sit:

vt sit: *Vortomni rursus creditur esse sacrum.* ea nimirum sententia: Creditur Vortomni rursus sacrum adesse, quia vertentis anni fructum percepimus. Sunt enim hæc duæ priores de Vortomni nomine opinioniones non ad aliquam certam personam referendæ, sed ad vulgarem quandam persuasionem, quam mox famam vocabit, additurus, eam mendacem esse, & neutram harum opinionum recipiendam. Annius hic aliud egit; & dum somnia sua speculatur, parum animaduertit, quid vel Vortomnus, vel Propertius canter: qua in re tam est ineptus; vt tres rationes à Propertio adductas sigillatim veras esse dicat, non agnoscentes, duas priores esse reiectas. Creditum itaque à quibusdam fuisse, Vortomnum dicere, nomen inde datam sibi esse, quia anni vertentis fructum iam tum homines percepissent, atque ideo sacrum rursus ipsi celebrēt, quo gratius cultoribus sequentem annum iterum bene vortat siue prosperet. Agebantur hæc ferè Octobri mensis, quinto Varronis de lingua Latina libro sic docente: quod quidem rationi maximè congruebat; vt quo tempore vindemia vltima fructuum messis iam esset peracta, Deo gratiæ agerentur, quod omnem agricolarum laborem, omnem satum, omnem arborum vinearumque cultum, sic felici suo afflatu promouisset; vt modò totius anni fructum in horreis & apothecis homines haberent. Quod si igitur annum vertentem, qui est integra solis à puncto quopiam Zodiaci ad idem reuolutio, vt vicefimo secundo tradit Ammianus Marcellinus, metiri velimus ex agrorum cultu; nec aliunde annum incipiemus, quàm à noua semente; nec alio fine terminabimus, quàm ipsis Vinalibus, quæ etiam Octobri mensis iam vino degustato agi solere idem Varro tradit.

Vortomni ferè Octobri mensis agi solent.

Vinalia, Octobri mensis agere solent Romani.

Possit ex his Vortomni ferè quisquam suspicari, Automnum & Vortomnum non Dei, sed eiusdem partis anni habere significationem: quod tamen nequaquam ita esse, ex Cimbrica lingua perspicuum fiet: è qua non solum hæc diuersitas elucescet, verum & omnes anni partes è suis nominibus & nominum rationibus sicut illustriores, quas, excepta hieme, omnes hic Propertius fructibus suis vel descripsit, vel indicauit; Automnum pomis, Ver cerasis, Æstatem moris & ceteris muneribus suis ornans. Festus scribit, quosdam putasse, Automnum ab augedo dictum esse, quod tunc homines agrorum fructibus coactis maximas opes haberent. Nos contra dicimus, Automnum anni sentium esse, quoniam eo tempore & fructus & folia ex arboribus cadant, aut in eis, nisi decerpantur, contabescant: tum etiam quia calor omnis, veluti in senio, exstinguatur, & canæ pruinæ & niues terram, veluti decrepitum quoddam silicernium, mox inde sint cooperturæ.

Automnus hominis senio optimè comparatur.

Automnus vnde dicitur, Automni sua vudom.

Wortom. Eldom. Wortom.

Hiems vnde dicitur, Yui.

Automnus igitur optimè hominis senio comparatur, in quo naturalis vigor omnis elanguescit iam iam frigore totus superandus & exstinguendus. Automni enim siue vudom senium significat, nulla omnino litterarum immutatione, eodem modo quo Wortom prosperitatem, Eldom nobilitatem, Wortom diuitias, quæ deriuantur ab *Aut/Wort/Cel/lyp* formula nobis visitatissima. Nec mirum, hanc anni partem vetus Cimbrorum nomen retinuisse, cum ceteræ quoque ex eadem lingua habeant appellationes. Hiems enim fit ab *Yuiem*/quod extra compositionem est, *Yui hem*/id est, custodi domum, siue serua te domi. Friuolum enim est, Romanos hanc vocem à Græcis mutuari; cum nec apud Græcos quicquam significet, nec ab *Yui*, id est, pluo, hæc anni pars dici debeat: nisi tam simus rei rusticæ, & medicinæ, & omnis denique naturalis philosophiæ imperiti, vt pluias in hieme optemus. Est ne quisquam, qui ignoret, ex halitu calore solis ex humidis corporibus eleuato, pluias in aëre concrefcere? Quod si negari non potest; qui cõuenit, vt cum Sol minimum virium habeat, & terra frigore summo conclusa ad petrae modum induruit, tum pluiæ potissimum fieri dicantur: Calore profecto opus est ad imbrum generationem, & eo quidem tanto, vt & terram aperiat, & halitus, siue, vt scholæ loquuntur, vapores ex eius humore in aërem tollat; nec tamen eam vim habeat, vt quem humorem extaxit, eum penitus absumat. Inaniuit scilicet Virgilius cum diceret,

Hiemes orate serenas

Agricola; hiberno latissima puluere farra,

Latus ager.

Hiemis proprium est, terram claudere, quod femina calore intus in se coacto, & ideo roborato, foucantur, & vim genitalem auctiorem adipiscantur: quam ad rem Boreæ adiumentum natura adhibuit, cuius in constringendo quanta vis sit, si quis ignoret, is mihi

Hiemis natura & proprietas.

is mihi vel cum Sardanapalo semper in gynæcio latuisse videtur; vel totam ætatem in vaporariis Germanicis transegit. Sed audiamus iterum Virgilium:

Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor,
Tellurem Borea rigidam spirante mouere.
Rura gelu tum claudit hiems, nec semine iacto
Concretam patitur radicem affigere terra.
Optima vinetis satio est, cum vere rubenti
Candida venit auis longis inuisa colubris:
Prima vel Autumni sub frigora, cum rapidus Sol
Nondum hiemem contingit, equis iam præterit æstas:
Ver adeò frondi nemorum, Ver utile siluis:
Vere tument terra, & genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens secundis imbribus æther
Coniugis in gremium læta descendit, & omnes
Magnus alit magno commissus corpore fetus.

Doctissimus poeta elegantissime nobis depinxit, ad quam partem anni pluuia spectent, & rursus quæ nam sit hiemis natura, quam illi mihi Grammatici ignorasse videntur, qui hiemis nomen à pluuiis deduxerunt; nisi fortè primus nominum architectus huius tam supini erroris sit accusandus. Tolerabilis fuisset vel à ventis, in quibus principatum Boreas tenet, vel à nimbis, vel à gelu dare nomenclaturam; si ab incommodis anni hæc pars fuisset nuncupanda. At in iis quia nec bonum omen, nec id quod optandum, cernebatur: prudentissime illud excogitatum est nomen, quod ut impetati hibernæ nihil exprobraret, ita hominibus consilium daret sanissimum. Hesiodus antiquis proximus, si vera de aureo tripode cantat, vim huius vocis, licet eam ignoraret, optime expressit:

πάρῳ θῆι χαλκίον θῶκον, καὶ ἐπ' ἀλέα λόρον
ὄρη χειμερῆν, ὅπῳτε πρώος ἀνεσας εἶργον
ἰχθύνει.

Hæc quid aliud volunt, quàm si diceremus: hieme, cum vehemens frigus homines constringit, accede ad focum, & eam domus partem quæ calore suo homines detinet in colloquiis & suavi confabulatione. Virgilius velut apiculi omnes veterum poetarum flosculos delibans, hoc etiam suum fecit, sed sic, ut multo comprius copiosiusque reddiderit:

Hiems, inquit, ignaua colono.
Frigoribus parto agricola plerumq. fruuntur,
Mutuæque inter se lati conuiuia curant:
Inuitat genitalis hiems, curasque resouit.

Nolstrates hoc tempore illud nomen pro hac anni parte in usu habent, quo ipsum illud quod Virgilius cantat, expressum est. Winter enim nihil aliud est, quàm lucrum absumo: cum Win lucrum, Ter absumo signet: quod tamen vocabulum tanto artificio factum est, ut si citra compositionem intelligatur deriuatum à Wint/ quod ventum signat, nihil aliud sit, quàm ventum faciens. Wint à Weim/ id est, verro & voluo, eo quod omnia vertat: à quo Latini venti nomen seruarunt. Sed auctor nominis ad priorem rationem magis respexit, hac inteiim non neglecta: An ne eandem omnino exprimit sententiam vox Win- em/ admonens, eo tempore omnem nostri custodiam in domo consistere; atque idcirco ea æstate esse comparanda, quæ ad sedentariam eiusmodi vitam sunt necessaria; ne domum exire, & Boream ferre cogamur? Videant modò Latini, vtrum malint videri à Græcis hanc vocem mutuati esse, maxima cum rerum imperitia, & contra omnium mortalium vota: an verò patius ducant & præstantius, si doceantur, hoc vnum adhuc esse ex illis vocabulis quæ incorrupta ferè ab ipsiis Ianigenis ad hanc usque durarunt ætatem. Magni sit numisma, quod eleganter vel imperatoris cuiuspiam basilicam, vel aliud quippiam eius temporis expressum habet: at quanto plurius illud fieri debet monumentum, in quo clarè cernitur, quàm longa & continuata serie Romani ab ipso Iano & Cim merio descendant, in quibus maioribus imperij sui acceperunt promissionem. Nec porò hæc vox primos Romæ conditores tantum nobis pro-

Winter.
Win.
Ter.
Wint.
Weim.
Ventum.

bis proponit inspiciendos; sed eorum etiam demonstrat prudentiam in nominibus fabricandis.

Verum video me mox rogandum, num & ceteræ anni partes vetusta sua nomina conseruarint. Conseruarunt sane. & Ver quidem omnino nostras est, quod Varro vel à Ver, veris, unde dictum. vertendo, vel à virore deduxisset, nisi Iones vidisset obstare, apud quos ait βῆρ pro eodem dici. Nobis Verer significat aëris temperiem; à Waer/ quod est custodio & tuor: Waer. quia aëris temperies mortalium vitam tuetur atque custodit. Iam aries etiam Waer nominatur, à Wer quod est defendo: quoniam is se capite suo egregiè defendat. Alludit præterea per cognationem litterarum W & B ad Wer siue Waer/ quod gigno & pario de- Wer. notat: quo fit, ut veris etiam illa dos exprimat, qua ceteris anni partibus longissime præstat. Quoniam verò semper optamus, ut grata aëris temperies reuertatur, nec vquam nos sic fatiat, ut non iterum eam nobis adesse velimus: factum est, ut Waer pro Ver / Waer/ iterum siue rursus in usum venerit. Tribus igitur rationibus primus linguæ nostræ fabricator primam anni partem Waer vocauit. Vna, quia cum aër temperatissimus est: quod nisi sensibus satis crederetur, Galeni auctoritate docuissim. Maronis tamen Musam lubentius ausculto, qui summam hanc aëris temperiem summa suauitate est imitatus:

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumue habuisse tenorem
Crediderim: Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hibernis parcebant statibus Euri:
Cum primum lucem pecudes hausere, virumq.
Ferre progenies duris caput extulit aruis,
Immissaq. fera siluis, & sidera calo:
Nec res hunc tenera possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigisq. caloremq.
Inter, & exciperet cali indulgentia terras.

O admirabilem doctissimi poetæ, & primi linguæ nostræ fabricatoris consensum! Quamuis enim veris originationem apud Latinos non haberet: sic tamen eam expressit, ut clarius non posset, dum dixit ad primos & teneros rerum exortus hac cæli indulgentia opus esse, quo res caloris & frigoris mediocritate conseruarentur. Waer itaque à Waer/ id est, custodio & conseruo deductum esse, si quis Maronem docuisset, an non putamus eum in maiorem sui admirationem venturum fuisse, agnitorumque aliquid diuini in poetis esse, cuius instinctu meliora, quàm ipsimet existiment, carmina frequenter effundunt. Atque hæc sit prima ratio à temperamenti præstantia desumpta, ob quam prima pars anni Waer vocetur. Altera accipitur ab eo significato, quo Waer arietem notat. Solis enim in Arietem ingressus Veris facit principium: quod notius est apud Astronomiarum peritos, quàm ut opus sit longiore explicatu. Tertia causa delitescit in vicinia W & B. Cum enim Iones Waer dicunt, in mentem nobis vocant Wer siue Waer/ quod est produco, pario, gigno. Ver enim plurimum parit & gignit inter omnes anni partes, adeò ut hæc ratio vel prima haberi merito possit, tamen si in deriuatione littera prima in cognatam transeat. Quarta causa his accedit: Quia enim rursus, quod Waer etiam dicimus, Sol nobis nouum annum reducit, & iterum calorem suum viuificum tam propinquum nobis reddit, ut frigora caloribus paullatim cedant, & ipsi terræ gramina, arboribus comæ, hominibus vigor & alacritas redeat: non malè hoc tempus Waer est nominatum: propterea quod omnia ea iterum repræsentet, quæ semper cupimus iterum adesse. Iones duplex digamma in Beta mutarunt, Latini simplex digamma retinuerunt; quoniam & hi & illi duplici hac littera carerent. FALKEN. Hoc demum est eximium & insigne vorum fabricandarum artificium, quod non vnam tantum, sed multas rationes ob quas rebus nomina conueniant, comprehendit; hoc, inquam, est origines & inuenire & explicare.

Perge igitur, quæso, ad eam, quæ sola restat, partem, ut Autumno totius anni interpretationem debeamus. G O R O P. In hac vereor ut vobis probare possim id quod sentio. Æstas enim citra omnem controuersæ vllius suspensionem ab æstu dici videtur quamuis Varro dubitet, an ab ἀβέσθῳ deriuetur. Sed hic ego primùm interrogabo, unde æstus

Æstus unde dicitur, & quod proprie significet.

æstus dicatur: quod si ab *αἰθερῷ* deducant, rursus quæram, quoniam hæc vox æstui marino conueniat, in quo nullus calor aut ardor dominatur. Ego sanè longè aliud æstus nomine significari puto, ratione de Cimbrico sermone ducta, in quo *Æst* per diphthongum pronuntiatum, immodicam festinationem notat. Siue igitur ad aquam, siue ad ignem referatur, æstus ingentem celeritatem qua vna vndam, & flamma flammam, & feruens vapor vaporem trudit & impellit citra ullam cessationem, notabit: ita ut æstus dictus videatur ab *Æstiflou*, id est, celeriter impello, per geminarum litterarum ad simplices reductionem. Propriè igitur æstus cum ad calorem refertur, dicitur ingens ille feruor vibrationem quandam fracti luminis circa terræ superficiem in campis ostendens; in qua maxima cernitur vis celeritatis; à qua ad calorem etiam alium est translatum, extra tamen germanam notationem. Mare item æstus suos habere dicitur eadem ratione, quia perpetuò agitur, vnda vndam protrudente. Hinc æstuo, quod est agitari, & inquietum esse; quod non ad flammam tantum, & feruidos vapores, & maris perpetuum fluxum & refluxum; sed ad ventos etiam, & hominum animos applicatur, qui æstuate dicuntur, dum nulla in cogitatione aut proposito quiescunt. Sic Syrtis Horatius vocauit æstuosas, quòd celeritatis aquarum vorticibus agitentur. Hanc significationem Cicero scitè admodum expressit in quarta Verrinarum: Itaque æstuat, inquit, dubitatione, versabat se in vtramque partem, non solum mente, verum etiam corpore. Nec minus proprium verbi vsum Horatius ostendit, dum festinas hominum mutationes describens sic concludit:

*Quid mea cum pugnat sententia secum,
Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
Æstuat, & vita disconuenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.*

Numquam igitur Grammaticis credam, æstum ab *αἰθερῷ* dici, nec propriè calorem significare, sed vehementem agitationem siue ea in aquis sit, siue in ventis, siue in vaporibus, quos canicularibus maximè diebus celerissima quadam vibratione micare videmus. Quod si ita est, nulla ratio permittet, ut æstas ab æstu dicatur, nisi id ei proprium faciamus, quod est commune plurimorum; & anni partem maximè constantem ab agitatione nominemus. Videamus itaque quid Æstatis nomine veteres notarunt. Seruius apud antiquissimos in duas partes annum diuisum fuisse scribit, hiemem & æstatem, idque Virgilij docet auctoritate sic canentis:

*Nunc veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
Incipiens stabulis edico in mollibus herbam
Carpere oues, dum mox frondosa reducitur æstas.*

Hic certè hiemem tantisper produxit, dum æstas inciperet; quasi ver æstatis pars esset. Idem alibi quoque ver æstatis nomine comprehendit in hoc versu:

At verò Zephyris cum lata vocantibus æstas.

In quo quis non videt, de primò vere, sub æstatis nomine locutum esse: quod tamen admodum alienum à vocis proprietate iudicandum esset, si ab æstu caloris æstas diceretur. Rogabo igitur meam Hermathenam, ecquid habeat quod simul & veram vocis originem ostendat, & poëtam antiquitatis studiosissimum nihil contrà dixisse, atque illa postulet. Dixi modò hiemis nomen homines ad monere, nò solum, ut domi maneant, ad frigora & ceteras aëris iniurias vitandas; sed hoc etiam, ut curent ea omnia ad manū habere, per quæ liceat hanc domesticam cochleæ vitam perferre. Idem quoque alterum nomen *Winter*, quo nunc vtimur, indicat; quoniam frustra quis eum hortetur qui nihil reposuit ad futuram necessitatē, ut ea quæ lucratus fuerit, absumat. Quamobrem si in hieme ad ignem desiderandum, & conuiuia sub recto celebranda: necesse est partem anni esse, per quam copiam omnium eorum nobis comparemus, quæ ad eiusmodi geniales dies, & latus computationes, & luculentos focos requiruntur. Hanc nemo nescit æstatem esse, qua semper hominem impigrum esse oportet, atque *αἰθρον*, ut Hesiodus ait; quo domum hieme omnibus necessariis habeat instructam,

*velut ingentem formicæ farris aceruum,
Cum populant, hiemis memores, rectòq. reponunt.*

Hæc igitur anni pars quæ victui conquirendo reponendoque ad hibernos vsum est apta vocatur,

vocatur æstas: quod vocabulum si in duo diuidas, ut fit *Æstas*, idem dixeris vernaculo nostro sermone, quod Latinus suo diceret, alimentum & pabulum coacerua: *Æstas* enim nobis non hominum modò, sed omnium animantium, immò non animantium tantum omnium, sed omnium eorum quæ nutriuntur, pabulum est & alimentum; adeò ut ignis etiam materiam & fomitem comprehendat. Quamobrem qui dicit, *Æstas* coaceruationem omnis generis alimentorum designat, hoc ipso & ignis pabulum, quo in hieme maximè opus est, complectens. Quis mortalium aptius queat vnica syllaba exprimere omnia ea quibus ad desidem & otiosam hiemis vitam opus est: cui cum altera syllaba *as* accedit, ostenditur non satis esse, paucula quædam feruari & condì, sed integros acervos alimentorum esse congerendos. *as* enim non quemuis acervum significat, sed eum qui totam domum feruare ac saturare possit: quod de formula *Ichneazur* dictionum statim se prodit. *Sat* enim nomen conuersum per vestigia deducit ad eam mensuram; quam *as* siue acervus ad vsum hiemis congerendus requirit. Ex quo & illud perspicuum, Latinorum *Sat*, & *Satis*, & *Satur* à nostra lingua Latinis remansisse: quandoquidem character nostris peculiaris eos huius debiti reddat manifestos. *Æst* item si conuertas, mox docebit qua via omne pabuli genus sit acquirendum. *Sat* enim idè est quod *Sat* ferò: Quocirca qui volet alimentum, necesse habebit ut ferat; quod conuersio clarissimè demonstrat. Quid hic adhuc artis desideratur? Quis vnumquam Latinorum tantum in æstatis nomine mysteriòrum quæsiisset? An non duabus syllabis omnia complexus est architectus, quæ plurimis præceptis & philosophi & poëta tradiderunt, atque id tanto vocum formandarum artificio, ut in summa breuitate syllabarum maius id sit & longè excellentius, quam ut vlla alterius linguæ vox cum iis queat comparari? Nunc igitur videmus, quam conuenienter etymologia Virgilius Æstatis nomen ipsi etiam Veri comunicarit; ea in re veterimorum consuetudinem secutus, cuius iam olim Latinis nulla ratio, nulla causa, & ne causæ quidem coniectura vlla constabat. Quantum enim temporis est, quo hiemis necessitatibus potest prouideri, tantum intelligimus æstatis nomine comprehendì. Quocirca Ver, quo scenum, quo butyrum & caleus, quo flores varij & varij asparagi condiendi reponuntur; primam æstatis partem facere dicitur. Neque verò Automnus potest ab huius vocabuli latitudine excludi; qui, si qua pars alia, egregie meretur hanc æstatis nomenclaturam; cum in eo non alij modò fructus, sed ipse etiam suauissimus vuarum liquor condatur. Errat itaque Seruius, dum in bipartita illa anni diuisione Automnum hieme comprehendì tradit: neque bene explicat locum illum,

Humida solstitia, ac hiemes orate serenas.

in quo poëtam prælicenter putat solstitia pro solstitio vsurpasse. Ego nihil ambigo, Virgilium Solstitij nomine Solis apud nos in Cancro stationem intellexisse, quod alterum Solstitium absentia potius Solis, quam Statio nobis sit vocanda: atque hac ratione iussisse, ut agricolæ pluuias circa æstiva omnium annorum solstitia orarent; quo cum alia suauis imbre succrescerent, tum frumenta etiam maiorem molem ante messem adipiscerentur. Non malè Seruius illud quidem animaduertit, annum à priscis in duas partes diuisum fuisse: sed partitionem ipsam perperam per æquinoctiorum circulum absolutuit, sex menses hiemi, sex itidem æstati assignans; cum Virgilius Automnum etiam æstatis nomine primo Georgicorum apertissimè ad hunc modum comprehendat:

*Quid tempestates Autumni & sidera dicam,
Atque ubi iam breuior que dies, & mollior æstas,
Quæ vigilanda viris, vel cum ruit imbriferum Ver?*

Hinc & illud elucescet, cur vetustissimi homines ante Olympiadum computationem, æstates pro annis posuerunt; quod Seruius in illud Virgilij annotauit:

*Nam te iam septima portat
Omnibus errantem & terris & fluctibus æstas.*

Nam gemina statim ex iis quæ de æstatis origine dixi, causa emergit: altera, quòd æstas maiorem partem anni complectatur: altera, quòd eam anni partem, qua domi otiosis erat desiderandum, indignam iudicarent quæ anno annumeraretur: quoniam id temporis, quod vltra senium reliquum esset, silicernium potius capulare, quam partem anni videretur; quippe in qua nihil vitæ terræ superesset, Sole vitæ datore per circulum

Ff obliquum

obliquum longiffimè remoto. Quid quod & tertia dari ratio potest ex vrbanorum hominum & mercatorum vita desumpta; quos si interrogemus, quam partem anni victui & opibus quærendis dedicandam existiment: respondebunt, ni fallor, non hanc aut illam partem; sed integrum annum: cui quidem hominum generi totus annus ætas potest nominari; quandoquidem nullum tempus vacuum esse sinant ad ea coaceruanda, quæ non nisi victus causa rectè quærentur. Et certè pauperes & ærumnosi agricolæ, quales plerique omnes sunt Campani, Brabanti, nullam sic anni partem otiosam habent; vt eam possint integram genio suo consecrare. Quamuis enim terra clausa sit, tantum tamen sub tecto habent negotij, vt nullus desidæ locus relinquatur. Quid igitur miri, ætates pro annis olim computatas fuisse; si tot, cur id fieret, rationes de vocis interpretatione eliciantur. Nomen quo nunc nostrates pro ætate vtuntur, eandem prorsus exprimit sententiam. *Somer* enim dicitur à *Som*, quod nobis est multa in vnum colligo; à *Sam*, quod est coniungo; propterea quod is qui multa in vnum acervum colligit, semper aliquid coniungat. *Sam* facit *mas*, de quo in Goticis scriptis. *Som* conuersum *Mos* facit, id signans, quod vel sparsum iacet, vel indignum est vt in summam veniat. Ex hac peculiari nobis vocum formatione liquet, à *Som* ad Latinos *Summam* venisse, non è contrario. *Somer* itaque coaceruatorem significat, qualem vnicuique ætatem esse debere, si pluribus doceam, ineptissima vos enecem prolixitate. Id interim admiratione dignum, tam egregie antiquum ætatis nomen, & hoc hodiernum, inter se conuenire, nec minus vetus nomen hiemis, & hoc, quo nunc vtimur, ad vetustissimorum poetarum sententias quadrare.

Nunc igitur ad Vortomni verba, qui vulgò credebatur omnibus vertentis anni fructibus præsidere, atque idcirco, cum vertens annus rursus cerasa attulisset, eorum primitias Vortomno offerri: & item primas spicas, adhuc humente & quasi lactente semine prægnates: nec aliter vias, simul ac nigrescere iam cœpissent, tum etiã pruna automnalia, quæ maximè laudanda, propterea quod condita toto anno seruentur. Nobis ingens prunorum varietas est, vt Romanis quoque olim Plinij tempore, qui tamen arbitratur Catonis ætate præter siluestria nulla cognita fuisse: quod an firma collectione concludat, mea non refert: id saltem inde liquet, de nominis origine Latinos non esse interrogandos; cum verisimile sit, peregrinum fructum peregrinum secum nomen tulisse. Græci *κοκκύρινα* vocant; & id quidem, vt Nicander indicat, quasi *κοκκυρος μίλον*. Quid autem cuculo cum prunis sit, ego me nescire fateor. Panem cuculi medici nostri Oxyn Dioscoridis vocant: fieri potest vt principio, cum agrestia dumtaxat pruna nota essent, cuculi mala fuerint nominata; id est digna hominibus tardis, & qui nec domum, nec pomarium haberent: propterea quod gustantibus acerba sint & ingrata. Galenus inter alia, quæ suis potius agrestibus, quam hominibus alendis apta dicit, Brabyla numerat: quo loco satis clarè significat, se de prunis nostris agrestibus intelligendum: Hæc igitur cuculi mala primùm dicta existimo, & de horum similitudine idem nomen ad domestica pruna transiisse, quæ iam non cuculorum solum, sed hominum etiam elegantium poma vocari mererentur. Posset quis suspicari, ab eo cuculi mala nominata pruna omnia generatim fuisse, quod aluum laxam reddant; qualem quamuis & aliæ aues, tamen accipitres præ ceteris maximè habere solent, inter quos cuculus vix contemptissimus numerari potest, rostro dumtaxat similis & plumis, ceteroquin timidissimus, & caloris semper indigens alieni. Quamobrem pomum aluum ciens, Coccygis potuit proprium dici, quod aluum molliret, & liquidam redderet; & præterea viscera refrigeraret. Hinc & illud videtur factum, vt Siculi & Rhodij omne prunorum genus Brabyla nominarint, quasi *βοράβολα*, vt Stephanus in linguis rationem assignat: quæ si vera sit, communi vsui, quem Galenus in Brabylorum nomine secutus est, repugnat, cum hæc potius adstringant, quam soluant. Pruna nos *Prunum* vocamus, quas *Pur-rumen* id est, mera euacuantia; ea nimirum causa, qua Brabyla Siculis dicuntur; quia ad nihil aliud conducere videantur, quam vt euacuent inferiorem ventrem. Quamuis ergo inter Coccyamala & Brabyla illud obseruatum à plerisque sit discrimen, vt illa cultarum arborum sint, hæc siluestrium: Brabyli tamen etymologia illis magis conuenit, quæ aluum lubricam reddunt; Coccyameli contra illis, quæ succo sunt vehementer adstringen-

Somer.
Som.
Sam.

Summa.

Prunorum
varia gene-
ra.

κοκκύρινα.

Cuculi mala.

Brabyla pru-
na.

Coccygis ma-
lum.

Prunum va-
de dictum.
Prunum.
Pur-
rumen.

adstringente, & prorsus inamœno, nec aliis, quàm cuculis pro cibo quærenda, qui tarditate sua in hanc incidunt necessitatem, vt dum ab aliis meliora impetrare nequeunt, cum suis victum quærere cogantur. Conuenienter igitur nominis rationi cecinit Theocritus, dum Brabyla pytis & malis, optimis pomis, adnumerat:

*ἄχρη μὲν πᾶρ πρῶσι, ἀλλὰ πλεῖστοι δὲ μάλα
Δαφύλλια ἀμύων ἐκελευσθε, τὰ δ' ἐπέχρηθε
ὄρναιες βραβύλοισι καὶ ἐκρίστοντες ἕραστοι.*

quod si velitis ex tempore Latinum, sic habet:

*Pyra pedes circa, circa latera vndique mala
Daphyllia obuolui, nobis fuzdique superne
Depressi ad terram Brabylorum pondere rami.*

Non permittit hic nobis poeta dubitare, quid Brabylorum nomine intellexerit, optima videlicet pruna, & si interpreti credimus, ipsa aded Damascena, de quibus Martialis:

*Sume peregrina carie rugosa senectæ
Pruna, solent duri soluere ventris onus.*

Quibus versibus videtur expressisse & Brabylorum & prunorum originem; si illa quidem *βοράβολα*, id est, voracitatis saburram depellentia, hæc verò *Pur-rumen*, id est, mera vacuantia, pro eo ac vocabula poscere videntur, interpretemur. Græci igitur videntur vel neglecta vel ignorata vera nominum ratione, contra quàm debuissent, Brabyla pro agrestibus accepisse, quæ Galenus inter stomatica medicameta numerauit: quamquam non absurdum erit, si agrestibus quoque ventris deiciendi vis tribuatur eo tempore, quo pleno autumno ad tardam deuenierint maturitatem, nihil fortasse tum Tamar-Indis, siue dactylis acerbis Indorum vel sapore vel facultate cessura. Nec contemnenda omnino, tameri cuculorum mala dicantur, non solum quia faucium & tonsillarum inflammationibus egregiè resistunt; sed quia à Marcello etiam ad calculorum remedia vocantur. Latini itaque Prunorum quoque nomen nostrati linguæ acceptum ferre debent, tameri N pro M adscuerint. Quod si difficilius sibi persuaderi sinent; dicant, vnde Rumicis nomenclaturam acceperint, multo ipsis, si vera dixit Plinius, quàm pruni antiquorem vel adferant causam de sermone suo: vel fateantur aliunde in ciuitatē Romanam venisse. Quid est tergiuersandū, Rumicis vocabulum ex antiqua lingua reliquū esse, si tamen nihil aliud est, quàm quippiam vacuum reddo: quod qui nescit Lapatro conuenire, is nec facultates eius herbar nouit quæ nunc vulgò de Græca voce Lapatentia vocant; nec scire videtur, nomen hoc à *λαπαύλω*, id est, vacuo, factum esse. Idem igitur Cimbricè Rumex, quod Græcis Lapatron notare, manifestò tenemus: è quo quis non videt liquere, Rumicis nomen ab eodem *Rumim* à quo *Prunum* & *Prunum* deriuari, & vtrumque vocabulum nostras esse de prima Italiæ lingua apud Romanos relictum. Inanis apud medicos opera luditur, dum contentione magna quærunt, quæ sint Damascena dicenda: cum nihil referat, quo olim nomine poma, quo nunc vocentur; modò de facultatibus eorum nihil sit controuersia. Quæ quis volet aut Damascena aut Armeniaca nominet; dum hoc saltem nobis permittat, vt non aliis Damascenorum loco vtamur, quàm iis quæ lubricam faciunt aluum: non aliis item Brabylorum Galeni loco, quàm iis quæ strennuam adstringendi vim gustantibus ostendunt: quæ nominarint Cereæ, & Cereola, ceræ color; quæ Columella onychina, Onychis splendor ostendit.

DE Cerasis apud antiquos maior dissensio, Romanis cõtendentibus, à Lucullo primum è Cerasunte opido allata fuisse; Græcis Diphili Siphnij testimonio docentibus, multo ante Lucullum sibi cognita fuisse, qui Milesia ceteris præfert. Theophrastus certè sic cerasum describit, vt prorsus maximam eam arborem depinxisse videatur, quam Bononiæ sapius sub nomine maioris loti conspeximus. Fuerunt qui putarint Cratægum ab ipso descriptum, Cerasum nostram esse; quàm verè, non iudico: id interim duplicet, quod siluestrem mespilum videri dicat, & succo mespilum referre. Quicquid huius est, id saltem negari non potest, exiguum prorsus huius arboris notitiam tum apud Græcos, tum apud Romanos antiquiores fuisse; & idcirco neque nominis rationem ab iis petendam. Est autem huius pomum omnium apud nos primum, ita vt ei euangelia

Damascena
pruna.

Rumex, vi-
micis, vnde
dicatur.
Rumim.
Lapatronum.

Cerasum ce-
vasti fructuum
Cerasus ar-
bor.

videantur deberi Pomonæ ad hemisphærium nostrum reuertentis. Et quia hanc à natura habet singularem cum erga se prerogatiuam, tum erga homines beneficentiam, visum est maioribus nostris, inde dare nomenclaturam quo cum gratias referre non possent tanto munere dignas, ostenderent tamen gratum animum, ipso nomine monumento in æternum apud omnes & audiendo, & testificaturo hanc arborem esse quæ primum arboreum fœtum post tristem hiemem mortalibus ostendit, & eo ipso nunciat, non verbis, sed reapse, tempus alimentorum redire. *Æter* idem quod reuertor, & reuerti facio, esse scitis, & *Æter* nisi ipsi antè intellexissetis alimentum omne genus notare, modò de iis quæ dixi, potuissetis doceri. *Æter-æter* ergo nihil aliud est, quàm faciens reuerti alimentum. Longas autem in breues esse mutatas, non admiror; cum & nos, quo vox monosyllaba fieret, *Æteræ* ex *Æteræ* fecerimus, magna diligentia breuitatem ubique affectantes. Bene itaque pro veris signo Cerasos posuit, & multo sanè elegantius, quàm ipsemet poëta potuerit suspicari: quoniam non fructus modò hanc latissimam anni partem designet, sed nomine etiam suo polliceatur, se reducere tempus alimenti coaceruandi, id est, æstatem. Quòd dulces cerasos dixit poëta, id fecit sanè tam bene, de mea sententia, vt nullum pomi genus sit quo lubentius vescar: sed tanta nunc est varietas tum arborum, tum fructuum, tum saporum; vt vix aliud genus inuenias in qua naturæ benignitas tanta luserit & luxuria & diuersitate. A pedali enim aut paullo plus chamæcerasi altitudine in altissimas arbores & latissima ramorum tabulata progreditur; tantum abest, vt quod de Cratægo Theophrastus dixit, huic arbori generatim queat applicari. Iam in hac tam varia copia sunt & amara cerasa, omnium minima, non illa quidem lauro infusa, vt Plinius sua ætate factum commemorat; sed de suo semine citra adulterium nata, qualia apud Tridentinos non vno loco meminisse videre.

Et hæc quidem de gratissimi alimentorum reditus symbolo. Nunc ad Mora, quæ adultæ ætati tribuuntur; quorum nomen non minus est, quàm cerasorum, obscuræ originis. Excutiant Romani, excutiant Græci omnia sua scriinia; voluant & reuoluant omnes suas antiquarias merces, & minima etiam, si velint, scruta recenscant; non inuenient tamen quò Mori vocabulum queat referri. Nobis in promptu est, sapientissimæ arbori nominis rationem assignare sapientissimam: & haud scio tamen an sapientiosem, an maiore artificio comprehensam. Romæ nomini & robur & roboris iactantiam subesse, paullo antè dictum.

Dictum item *Mor* vocem versam contrarium eius notare quod *prorsâ*, quæ *stom* est, significabatur. Quamobrem non vna ratione: *Morus* nomen suum est sortita. Principiò fructus aded omni robore caret, vt neque cortice tegatur, nec ossè intus firmetur, sed solo succo & carne constet. Deinde tam imbecilli nexu pediculo suo hæret, vt frequenter vel leuissima iniuria decidat ante maturitatem. Iam maturo quid mollius, quid citius computrescit? Soluitur mox velut in lutum quoddam: & terra quæ luto constat, pari ratione *Moor* apud nos vocatur; eo quòd & mollis sit, & inualida ad pedes animalium sustinendos. An non maxima igitur de causa *Morum* ab imbecillitate & mollitudine nominandum videtur: & si necdum haberet nomenclaturam, num ab alia nota eam dandam putaremus, quàm ab ea per quam à ceteris pomis omnibus differt discrimine prorsus immani? Et hæc quidem de Mori fructu ab imbecillitate nominato, nunc ad arborem. Hæc præter ramorum fragilitatem illud habet peculiare, quòd Romano nomini maximè aduersatur; quia nimirum minimè sit inter omnes arbores aut superba aut iactabunda. Cum enim ceteræ arbores, quàm possunt citissimè, vires suas in germinando, & sese foliorum ornatu decorandis, ostentent; hæc sola nihil properat, sed omnibus ceteris præcurrere permittit, tandem in medium prodit, & sese tam spisso virore vestit, vt nisi modestia esset singulari, de eo sese iactare posset. Quid porrò consequitur hac sua modestia, & Fabiana tarditate? Illud nempe, vt longissimam vitam consequatur, & materiam præstet ad multas ætates duraturam. Romus præcoci sua iactantia dicitur periisse: *Morus* contra, modestia sua tendit ad æternitatem. Non igitur ob eam tantum causam arborum sapientissima dici potest; quòd non antè germina protrudat, quàm æstiuus calor certam præstiterit contra frigus securitatem: sed ea etiam ratione, quòd minimè sit iactabunda: quando-

Æter.
Mor.

Cerasus si-
gnum Veris,
primum ar-
boreum fieri
post hiemem
mortalibus
ostendit.
Cerasorum
epitheton.

Morus ar-
bor.

Mor.
stom.

Mori fructus
natura &
proprietas.

Moor sine
Moor.

Mori arboris
natura &
proprietas.

quandoquidem nullum se sapientiæ maius indicium, quàm modestia & matura tarditas: nullum stultitiæ & vanitatis certius argumentum, quàm gloriabunda arrogantia. Quæro nunc, vtrum arboris maior sit sapientia, an maius artificium ipsius nomenclatoris, qui non naturam solùm fructuum vocabulo suo expressit, sed vtilissimum etiam præceptum ad vitam prudenter agendam, tum arboris exemplo, tum nomine ipsi iactantiæ ex diametro repugnanti eadem opera construxit. Sciebat nimirum frustra nos naturæ secreta scrutari, nisi ea ad sana vitæ morumque instituta referamus: cum nihil scientia prosit, quæ non recto tramite ad summum bonorum contendat. Nescio vnde *Mori* nomen ad Alexandrinos venerit; cum ceteri Græci hoc pomum *συνδρμον* vocent: tamen non immeritò suspicari queam, id de occultiore sacerdotum lingua, quæ eadem cum nostrati erat, emanasse. Cetera quæ de *Moris* dici possunt, in vulgus nota sunt, tum de generibus, tum de foliorum ad serica vtilitate, tum etiam de stomatico medicamento ex immaturis eius pomis parando; ita vt hæc nihil debeant nos demorari.

Propertius non contentus his enumeratis fructuum primitiis, quibus vertente anno Deus hic solet ornari; vterius coronam è pomis factam adiecit, quam insitores vororum rei soluere consueverunt, dum felici successu inuitas pyros mala, vel malos pyra, vel alias arbores diuersæ naturæ poma ferre coegerunt. Pomosam autem vocat coronam, quæ varij generis poma continebat: quæ varietas è diuersitate insitionum maximè solet oriri; quæ facit, vt non sat sani hominis mihi esse videatur, si quis huius ætatis vel mala, vel pyra, vel alterius generis diuersa ex insitione poma ad veterum nomenclaturas cogere nitatur. Nouisse cuiusque succos eo iudicio, quo simplicium medicamentorum facultates sunt examinandæ, id verò dignum iudicio in quo laboretur. Quid mea refert, quæ fuerint Sestiana, aut quis fuerit Sestius, primus vel insitor vel arboris inuector? Nihil profectò, quantum ego quidem videre possum: aut saltem non pluris refert, quàm scire, quis fuerit Laurentiolus, à quo *Laufens peren*; aut quis Wilhelmulus, à quo *Willehens peren*; aut quæ Elisabetha, à qua *Lysbet peren* vocantur. Habuerint Romani Orbiculata delicatissima, habuerint Melimela, habuerint Mattiana, Scandiana, Picena, Amerina, Syriaca, Pelusiaca, Quiriniana, Setania, Platania, Mustea, & si feminis placet, habuerint etiam pannucca: num mihi ob hanc diuersitatem laborandum, quæ illorum quibuscum nostris conueniant? Insana est omnis inquisitio, in qua inuentionis nulla est regula aut certitudo: insanior etiam illa, in qua nec certa via est ad veritatem, nec vlla vtilitas veritatis inuentæ. Scimus Sestiana poma, siue, vt Columella habet, Sextiana, non verò Cestiana, vt malè apud Galenum vocantur, inter ea numerari, quæ adstringendi vi tum in stomaticis medicamentis, tum etiam in stomachicis affectionibus è relaxatione natis magnam habent vtilitatem: Ea tamen de causa nobis minimè disputandum, quæ sint Sestiana poma: ne nobis vana quærentibus, illud quod Cornario, nisi memoria fallat, in hoc pomo accidat, vt Sestiana Hesperidum mala credamus, & tandem cum Mattianis etiam confundamus, à quibus credi posset Hispanos hoc tempore omnibus malis nomen mutuari, quo videantur omnia paria Mattianis olim laudatissimis. At hoc agendum, vt inueniamus mala, quæ adstringendi facultate non cedant Sestianis; qualia quàm plurima reperuntur: & nisi inuenirentur, ad Appij imitationem, aliis malis Cotoneo insitis fieri possent. Mattiana à Mattio dicta, illo fortasse Caio, quem Columella de re rustica scripsisse tradit, quæ Athenæus à vico quodam Aquileiæ vicino adferri dicit. Plinius Valerianus non parum commendat ad pulmonis & iccitionis affectiones, addens & sanguinem reiciendis conuenire: è quibus notis conicio, adstringendi vi vnà cum grata quadam & pingui dulcedine prædita fuisse. Hæc Domitianus vespere non rarò esitasse fertur. quo loco Martianum codex meus habet, vt vitiose etiam in Macrobio legitur Martianum, pro Mattiano: Miror quòd in mentem venerit Natali de comitibus, vt Battiana in Athenæo verteret pro Mattianis: vel hæc sunt, vel horum loco edi possunt, quæ nos *Dal-ersen* Hispani *Campozas* vocant. Nominum quorum diuersa admodum sunt & leues aliquando occasiones; nulla cura habita, sic tamen, ne quæ apud veteres sunt scriptores, negligentia nostra corrumpantur; ad ipsas vires animum perpetuò conuertamus.

Pomosam corō-
na Fortomni.

Pomorum &
pyrorum va-
ria genera.

Sestiana sine
Sestiana pa-
ma.

Mattiana
poma.

& ad eas vsum ipsorum dispensemus. Sic nec magni nostra interest, Galenum in Persico malo, quod Citrium suo tempore nominari ait, non sat propriè seminis nomine illud etiam succulentum comprehendisse, in quo vera semina continentur: cum satis apertè inter verorum feminum siccam & calidam facultatem, & huius succi acidi vires, magnum collocet interuallum.

FALKEN. Nimis angustis spatiis nos includis, si non vltèrius aut dubitare aut inquirere licebit, quàm tui Themisones permittent. Quid quoddam mea non interest, nec opinor etiam ipsius Flemingi, quam pomum habeat facultatem, modò gustanti gratum sit. Hoc mihi malim expediri, quo sese Dipnosophistæ quoque in Laurentij conuiuio torserunt; quæ nam ea sint mala quæ Hesperidum apud poetas vocantur, de ceteris fanè, quæ hæcenus primus mortalium nobis aperuisti, & nunc ingentes gratias agimus, & pro eo ac debemus perpetuò habebimus; quas tamen multò habebimus maiores, si hæc etiam accessione beneficium cumulatiùs reddas: quod te eo magis facere decet, quo Vortomni corona elegantior reddatur. GOROP. Quandoquidem video mihi hæc imponi necessitatè, vt totum hoc pomeridianum tempus nugis meis transigatur: non magni facerem, qua de re me loqui velletis, nisi viderem non satis spatij diem hunc nobis daturum ad ea quæ super reliquis Propertij versibus cogitaueram, explicanda. Nec est fanè quod Athenæo addi posse videatur, qui veterum hæc in re diligenter enumerauit sententias, & inter eos Pamphilus, Diis apud Lacedæmonios Hesperidum mala apponi solere, prodidit illa quidem gratissimum odorem spirare, verum non esse esui apta. Meminit & Aristocrates in Laconicis, eadem Hesperidum & Persica mala faciens; de quibus Diphilus Siphnius sic est locutus, vt ab aliis Coccymala vocari dicat, nec mali succi esse, immò plus nutrire, quàm cetera mala: quò quid sibi velit, ipse videtur. mihi bis per omnia videtur aberrare, si de Persicis siue Medicis malis loquatur; quorum nec cortex, nec caro, nec succus, nec semina bonum succum generare possunt; cum prorsus ab alimentorum mediocritate ad insignes excessus declinent: cuius generis quæ sunt, non video quis medicus ad boni succi copiam augendam queat adhibere, nisi idem fortè pharmacum dicat & nutrimentum. Philotimus in alimentorum libris Persicum malum pingue & mliaceum esse, & oleum ex eo exprimi posse dicens, de cortice cum carne videtur locutus. Quoniam verò apud Lacones aliud nomen habuerunt; equidem crediderim illud minimè idem cum Græco prunorum nomine fuisse, sed scribendum esse Cocomala, non Coccymala, à granis nimirum, quæ acido Persicorum malorum succo continentur, & ab ipso illo acido Oxymela, id est, mala acetosa fuisse nominata. Ab Aristophane igitur Grammatico in linguis non malè dictum fuerit, κοκκομηλα nominata fuisse apud Lacones Oxymala Persica, siue mala acetosa Persica: Verum cum addit, à quibusdam Adrya eadem vocari; maximam mihi mouet suspicionem, hæc nomina non bene ab ipso fuisse distincta. Nam videtur de prunis agere; quæ ἀνρόδρα etiam dicuntur, & συνκοπτός ἀδρῶα, nec non & μάρδρα, quasi μολδρῶα: quæ nomina cum antea Brabyli siue prunis sint tributa, vereor ne parùm ad medica mala faciunt, quæ hic ab Athenæo dicuntur. Sed relinquamus has tricas, quibus veteres implicatos videmus: id quæramus, an Persica, siue Medica, siue Assyria, siue, vt post dicta sunt, Citria eadem sint cum Hesperidum malis, an diuersa. Iuba Mauritanix rex in iis quæ de Libya scripsit, Citria ait Hesperica mala ab Afris vocari, & inde Herculem aurea mala in Græciam tulisse, nomine colorem secuto. Hunc quidam audiendum negant, asserentes Citrij nomen apud veteres non reperiri; quod & Galenus videtur indicare; describi tamen arborem à Theophrasto sub mali Persicæ siue Medicæ nomine, quæ necdum ea tempestate patriam suam egressa esset: Tantum abest, vt insigni errore carere ea putem; quæ nescio quam ad Bacchum de Coccymalis & Oxymalis Persicis Athenæus adduxit. Cum igitur doctissimus Theophrastus Medica mala quam optime libro quarto, vt vidisse vos nihil dubito, depinxerit, nec Hesperidum, nec aureorum fecerit mentionem malorum, nec dixerit Græciæ iam olim ab Hercule illata: non possum mihi persuadere, vera ea esse quæ multo post Iuba commentus est. Quod si vel minima suspitione tactus fuisset, hæc ea esse mala, quæ Hesperidum & aurea dicuntur, non opinor tam nobilem apud Græcos fabulam silentio transfuisset. Verum vt me expediam, suffragium colophonium adducam Theophrasto prorsus consensurum.

Virgi-

Hesperidum mala.

Persicum malum. Medicum malum.

Cocomala. Oxymala.

Citrii malum.

Virgilius, dum quæ singulis regionibus peculiaria sint & prorsus sua, hanc arborem vt Medorum propriam & Italiæ necdum illatam, depingit:

Media feri tristes succos tardumque saporem
Felicis mali, quo non presentius vllum,
Pocula siquando saua infecere nouerca,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbor, faciemque simillima lauro,
Et si non alium late iactaret odorem,
Laurus erat; folia haud vllis labentia ventis,
Flos apprima tenax: animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis.

Seruius auctoritate Appuleij de arboribus scribentis, eò propensius est, vt hanc arborem quæ hic describitur, Citrum esse neget: quod cur faciat, non video: cum Theophrasti & Virgilij descriptio egregiè consentiant & inter se & cum malis nostris Citriis. Probus nimis ineptè Rhododaphnen hic describi credidit. Miror fanè tum huius supinū iudicium, & ab omnibus medicorum pueris deridendum; tum illius aut vecordiam, quòd potius Appuleio, quàm Plinio accesserit; aut negligentiam, quòd huius libros inspicere non curarit, in quibus claris verbis expressum est, Citrium à Græcis malum medicum vocari. Video etiam in tardo sapore Grammaticos valde tardos esse, nec sat poetæ acumen assecutos. Ego sic locum intelligo, vt putem Virgilium cum arbore expostulare, quòd tam felix malum, & tot doribus nobile, tam tardè Romanis dederit gustandum. Sit igitur hoc nobis firmum, Medicum siue Persicum Græcorum malum à Theophrasto & Virgilio bene depictum, Citrium malum Romanis vocatum fuisse, de Plinij & Galeni grauissimorum testium auctoritate: quicquid interim vel Seruius, vel eius dux Appulij obganniat. His accedit & Pamphilus in linguis illud quidem bene testatus; apud Romanos Citrum vocari; sed in eo pariter cum Iuba seductus à veritate, quòd idem Hesperidum malum putarit: quod equidem prorsus nego; quoniam nec Theophrastus diligentissimus Medicæ mali delineator, nec Virgilius hunc imitatus; tam antiquam pomi huius nobilitatem vllò modo subiciuisset, si hoc aureum Hercules malum apud poetas celebratum existimasset. Elegantissimus hic poëta cum nusquam non diuina recondita eruditionis oracula promens vbiq; sui similis sit, tum in illa Eclogæ parte minimè dormitauit:

D A. Malo me Galatea perit, lascina puella,
Et fugit ad salices: sed se cupit ante videri.
Et iterum:

M E. Quod potui, puero siluestri ex arbore lecti
Aurea mala decem misi, cras vltima mittam.

Quis hinc vltèrius tergiuersandi locus iis qui negant, alia aurea, alia Medica esse? Aurea mala decem legit ex arbore; Medica scilicet; quæ ne in ipsis quidem Augusti hortis tum temporis crescebant? Minimè gentium. Nec hoc erat pastoris, illa magnis sumptibus è Persia aduecta de bulga sua comparare, nec ipse pastor, vt tale quippiam suscipemur; locum vllum relinquit, dum dicit, se aurea poma nec emisse, nec è culta aut domestica, sed siluestri arbore legisse. Quæ igitur erunt aurea hæc mala quæ pauperimus Menalcas cum magna attenuatione muneris ad amores suos mittit; primò dices, Quod potui; deinde addens, siluestri ex arbore lecti; vt sibi nihil proprium, nihilque suum ostenderet: postremò, vilis & siluestris muneris, quod numerari non merebatur, numerum exprimens, vnà confessus paruum illum quidem esse in tam nihili dono; sed se cras hodiernam panuriam alteris decem compensaturum? Qui, rogo, hæc quadrant cum Citrio; quod necdum gustum sui Romanis dederat? Melius omnemur, quàm poetam tam decori in memorem fuisse; vt decem Citria pauperimus pastor & mittat, & vile munus esse fateatur; cum eo tempore vel tria à primario homine non ruris, sed ciuitatis Romanæ ipsi Augusto gratissimi muneris loco dari potuissent. Quid quòd ne Claudij adhuc tempore in Italia Citrus coleretur, Columella alioqui tradituro, quipiam serenda tractandaque esset. Martialis multo post eam de hac dote celebrauit,

Ff 4

quòd

Aurea mala.

quod in Assyria pomis numquam careret, quod ita esse, Palladius dicit se post in Sardinia- no & Neapolitano fundis suis deprehendisse, ceu rem in Italia & locis vicinis non ante visam. Quamobrem ne id quidem mihi Democritus, quisquis is fuerit dipnosophista, persuaserit, Antiphanem veterem Comcediarum scriptorem in Bceotio suo de Citrio malo esse intelligendum, dum Baiotum suum amatorem, vt equidem conuicio, sic in- trodicit puellæ loquentem:

Καὶ περὶ μὲν ἔλου γ' ἠλίθιον τὸ ἐν λέγειν,
ἄνωγ' ἄλλοι ἀσπίλους, ἀλλὰ ταυτὶ λάμβανε,
παρθεὶν τὰ μῆλα καλὰ γὰρ, καλὰ δὴτ' ἂν εἶποι.
νεωστὶ γὰρ τὸ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον,
εἰς τὰς ἀθίνας ἔστι πρὸς τὴν βασιλείαν
παρ' ἑσπερίδων ἔφυλον γὰρ νητὶν φασφόνων,
φασὶν τὰ χρυσὰ μῆλα ταῦτ' ἔστι τρία
μὲν ἔστιν ἄλιγον τὸ καλὸν ἐστὶ πωλεῖται
καὶ τίμιον.

In his vertendis Natalis in ipso statim limine imegisse videtur, sed is, vt velit, nos sic ex tempore:

Sit sanè ineptum vel loqui de opsonio,
Ceu cum heliune sermo sit: sed accipe
Hæc virgo mala pulcra, pulcra per deos.
Non pridem Athenas misit hæc rex semina:
Genus puto Hesperidum, per astrum Cypridis,
Esse aurea hæc dicunt. Tria at tantum modò
Sunt pulcra, rara, rara ubique gentium,
Præcipue magni.

Hos versus Eriphus non tam vt suos faceret, repetiuisse videtur, suis quibusdam addi- tis, quàm vt trium pomorum donum ab Antiphane inductum derideret. Neque indi- care viderur, Medica poma à Bceotio amica sua data; cum vix oboli faciat. At pluris fuissent tria citria tum temporis Athenis, quàm triginta oboli; & fortasse pluris, quàm triginta drachmæ. Deinde mox liquet ex comparatione Granatorum quæ Eriphus aureis Hesperidum malis opponit, minimè vel ab Antiphane vel ab Eripho de Citriis fuisse cogitatum; sed de viliori aliquo genere, quàm sint mala punica. Quod si rectè quis consideret quæ ab utroque dicta sint; videbit, ni fallor, Melibœam nihili aurea poma facere; & ea quæ de aureis pomis à Venere in Cypro plantatis fere- bantur, ad punica mala detorsisse. Sed valeat Eriphus cum sua rustica Melibœa, quæ Dianam à virorum consortio alienam, quàm Veneris sidus iurare mauult: ex quo solo perspici potest, omnia ea quæ Veneris sunt; ab ea contemni, & vix obolaria cen- seri. Ego aliter longè Antiphanem, quàm Dipnosophista intelligens, aio, elegantissi- mè & ingeniosissimè eum in tribus aureis pomis versatum esse; tum quod ad nume- rum spectat, tum etiam quòd eorum semen dicat non ita dudum à rege Athenas mis- sum esse. Ternarium enim amoris vinculo conuenire, Virgilius etiam nouit; & multo ante omnes & Latinos & Græcos ipse Salomon funiculum triplicem dicens difficilius rumpi. Iam poma Veneri sacra esse, & ea quidem Cydonia de quibus Comicus agit, mox apertum reddam. Quo autem Bceotius rusticum & exile munus magis commen- daret; addidit, non de vulgari Cotoneorum genere hæc mala esse; sed omnium longè pulcherrima; & quo pluris fiant, semen allatum dicit è Persia: quod mirum non est, cum hodie quoque Cydoneorum ea præstantissima sint & maxima, quorum semen ex Lusitania usque ad nos affertur. Porro quòd à Rege dicat semen venisse amarulentum, habet criminationē in Athenienses nescio quos, qui regiis pecuniis quas per aurea mala indicat, se sinecent corrumpi. Nihil igitur minus hic cogitatum est, quàm de Medica malo: potius cogitatum est de auro Persico, quo Græci se non raro allici sinebant, vt Persarum magis rebus, quàm patriæ suæ studerent: quod vt falsè admodum à Comico obliquis verbis & aurcorum malorum mentione notatum est; ita parum bene ab eo animaduersum, qui collegit poma hæc Citrea fuisse ex eo quòd semen è ditione regis fuisset allatum. Certè si Antiphanis iam ætate arbor in Attica fuisset, idq. tam commu- niter, vt

Ternarium
numeri a-
moris vincu-
lo conuenit.
Cydonia ma-
la Veneri sa-
cra.

niter, vt etiam Bceotius inde poma haberet; multo prius ad Romanos, quàm Virgilius nasceretur, venisset: nec Theophrastus verè dixisset, Malum Medicam sua adhuc æta- te Mediæ & Persidi esse peculiarem; nec opera sua dignum existimasset, tam diligen- tem eius dare delineationem, quæ multo antè beneficio cuiusquam Persarum Regis in Græciam fuisset translata. Hæc pluribus quàm vellem. Sed quid facerem? Antipha- nes mihi videbatur defensionem implorare contra eos qui huius tam falsæ assertionis facerent testè & patronum. Quæ verò mala dederit intelligenda, ipsa Melibœa fati in- dicauit, dum errore virgini rusticæ non indecoro, Punica mala à Venere in Cypro confi- ta fuisse dicit: quæ fabula non ad Punica mala, sed ad Cydonia pertinebat, de quibus Ouidius Metamorph. libro decimo ipsam Venerem sic loquentem adducit:

Est ager, indigenæ Damasenum nomine dicunt,
Telluris Cypria pars optima, quam mihi præci
Sacrauere senes, templisque accedere dotem
Hanc iussere meis: medio nitet arbor in aruo
Fulua comas, fuluo ramis crepitantibus auro:
Hinc tria foris mea veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu.

Hæc ait fe Hippomeni dedisse, quo Atalantæ obiecta & cursum demorarentur, & amoris darent incitamentum. Theocritus tertio Idyllio idem expressit:

Ἰππομένης οὐκ ἔστι τὰν παρθένων ἠθέλε γὰρ μοι,
Μάλα ἐν χερσὶν ἑλὼν δρόμον ἀνευ· ἀδ' ἀτλάντα
Ὡς ἴδεν, ὡς ἑμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἄλλετ' ἕρποντα.

Hæc nec pari elegantia nec pari gratia Latine, sed eadem dicam breuitate:

Hippomenes cupiens Atalantam inducere lecto,
Ni ala volis sumens cursum perfecit: at illa
Vt videt, vt furit, vt altum rapta est in amorem.

Quæ nam hæc Atalanta fuerit, magna est inter poetas & eorum interpretes quæstio. *Atalanta* Theocriti interpres & plerique alij geminam faciunt; alteram Arcadicam, Iasi; alte- ram Bceotam, Schœnei filiam: & hanc Hippomeni dant vxorem, illam Melanyoni. Meminit huius controuersie inter ceteros Apollodorus, sed lite pendente discessit. Elianus, Arcadicam non solum sagittis, sed & pedibus plurimum valuisse, satis ostendi- dit, dum velocitatem eius astrorum cadentiū & fulminis celeritati comparauit. Theo- critus hoc loco videtur indicare, Hippomenem & Melanyonem eundem fuisse, no- *Hippomenes* *Melanyon* men posterius per illud, *μηλα ἑλὼν δρόμον ἀνευ*, quasi diceret, Hippomenes inde Mē- lanyon dictus est, quòd *μηλα ἀνευ*, quod ceteri perficere nequiuertunt. Nomen itaque alterum de victoria datum apud poetas induxit confusionem. Sed hæc propter viam. Videmus itaque in Græcia nulla vquam ætate, post saltem quàm Hercules Hesperidum hortos spoliasset, aurea mala defuisse; cum tamen Medicæ mali ante Theophra- stum nullus vquam meminisse videatur. Quæ igitur aurea mala sint, ex Plinio di- scamus, qui inter Cydonia ea Chrymela vocat, quæ aureo colore ceteris præstant: *Chrymela* quod numquam scripsisset, si Citria, quæ & ipse & ceteri Romani iam cognoscebant, *Chrysomela* Chrysomela, siue aurea mala apud veteres fuisse, existimasset. Quamuis verò ex his *Cydonia ma-* *la aureo co-* *lore insignia.* *Aurea & He-* *speridum ma-* *la sunt.* fati perspicuum esse puto, Cydoniorum genus illud quod aureo colore maximè est insigne, aurea mala esse, & idcirco etiam mala Hesperidum: ostendam tamen quid Propertius de Virgilij aureis malis tenferit; cuius iudicio qui stare nolet, is cadat in quot volent errores. Eius ad Lyncen, hi sunt versus celeberrimi:

Cedite Romani scriptores, cedite Graij,
Nescio quid manus nascitur Iliade:
Tu canis umbrosi subter pineta Galefi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus:
Vtq. decem possent corrumpere mala puellam,
Missus & impressus hædus ab vberibus.
Felix qui viles pomis mercaris amores.

Quis hic non videt, vilia poma fuisse, quæ aurea Virgilius vocauit, minimè verò ex Assyria vsque & Media magnis sumptibus aduecta. Non esse autem Scandiana, aut Mattiana,

Martiana, aut Melimela, idem in eo carmine quo in avaritiam puellarum sui temporis inuehitur, ita clarè demonstrat, vt nullam tergiversationem vel obstinatissimo aduersario relinquat:

Felix agrestium quondam pacata iuuentus,
Diuitie quorum messis & arbor erant.
Illis pompa fuit, decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rosis.

Succinat Propertio Palladius, qui vno verbo litem dirimet:

Cum praestet cunctis se fulua Cydonia pomis,
Alerius nullo creditur hospitio.
Roboris externi librum aspernata superbit,
Scit tantum nullo crescere posse decus.

Videmus hinc fuluam Cydoniam propter poma vocatam: videmus superbiam & decus auri: quid reliquum est, vt non tota aurea dicatur? Nolo nunc prolixius morari in errore hoc eradicando; ad quem tollendū, vel solus Plinius satis grauis auctor esse debebat; quem tamen in eadem sententia Columella praecesserat, tria aequè ac ipse Cydoniorum genera tradens. His igitur auctoribus qui necdum crederet, aurea Hesperidum mala, magnum Herculis inter cetera ornamentum, Cotonea mala esse; eum dignum iudico, quem Pomona folis plumbeis Nomentanorum malis pascat, nec vnamquam aurea cognoscat. Iubam igitur iubebimus Afris suis narrare, Hesperidum mala & Citria eadem esse, nec sinemus nos tam longè à veritate detrahi, quàm Hanno conterraneus eius nauigauit. Poterant quidem & huc ea adduci quæ in Herculis quibusdam statuis poma visuntur: sed quia non in omnibus eadem est malorum forma, malui hoc nobis in re manifesta argumentum deesse, quàm ex obscuro iudicio rationibus clarissimis tenebrarum aliquid offundi. Verùm quàm Virgilius bene doctèque de Hesperidum malis, siue aureis, sensit; tam rectè ea amatoris munus fecit; in eo & Antiphanem, & Theocriti non vnum locum, & quamplurimos alios poetas secutus; quorum de scriptis non obscure quibus intelligit, poma Veneri donum esse gratissimum. Quis nescit, Paridis iudicio, Eridos pomum Veneri datum; & eam hac causa victricem vocari. Eadem è pomea Dionysij corona mala decerpfit, quibus ad amores conciliandos vteretur. hinc Philetas:

τὰ οἱ ποτε κίτρις ἐλοῖσται
μήλα Διονύσου δῶκεν δῶπ' ἀπὸ κροτάφων.

Qua de causa Theocritus Mindio suo amatori poma ad Simetham dedit ferenda:

μήλα μὲν ἐν κόλπῳσι Διονύσιο φυλάσσω.

Hinc & illud quod modò ex eodem adduxi:

παιρὶ πλοῦρησι δὲ μήλα.

Ad quem locum interpres malum Veneri sacrum dicit; & idcirco ad latera quibus contigua sedes est illius animæ quam sub phrenibus Plato collocauit, quàmque maximè Venereos ludos vigere oportet, reliquis duabus partibus otiosis. Hinc & illud apud Eustathium, nescio an ex Anacreonte:

μήλα ἔρωτες ἴδου τρυφῶσι.

Et illud Aristophanis ex Nephelis:

μήλα ὑπο' ὑποπιδίου βληθεῖς. Quamobrem non otiosè ab Homero factum,

quod in Phæacum hortis dixit μήλας ἀγλαοῦάρπας, pulcritudinem nimirum malis propriam esse ratus & peculiarem; & idcirco malum à Paride datum pulcerrimæ. Quòd verò non generatim quæuis mala aequè Veneri grata fuerint, sed Cydonia præ ceteris omnibus, Stesichorus satis indicat in Helena, vbi commemorat, in regis currum inter myrtili folia & rosarum violarumque corollas, multa quoque Cydonia coniecta fuisse. Plura possent adferri de Græcis, quibus mala Veneri sacra, non alia, quàm Cotonea, esse docerentur. Verùm ne sim prolixior, pro multis vnum adferam Antiphili epigramma, quo Struthion ad Venerem suam missum ad hunc fecit loqui modum:

μήλον ἐγὼ εἰθέριον ἀφ' ὀπλοτέρης ἐπιπίης
ἀερον ἐν νεαρῇ χροτὶ φυλάσσωμενον

ἀσπίλον,

Cotonea mala, aurea Hesperidum mala sunt.

Poma Veneri donum gratissimum.

Cydonia mala præ ceteris Veneri grata.

ἀσπίλον, ἀρρῦτὶδῶν ἰσόχροον ἀρπηγόνοισιν,
ἀμυλὴν ὀπετάλοισι συμφορῆς ἀκρέμοισι.
ἄρης χειμαρῶν ἀσπίλον γέρας; εἰς σὲ δ' ἀνάσσω,
τίθει χ' ὠνίφθεις κρυμδὸς ὀπωροφορεῖ.

quod nos, et si non pueri gratia, Latinum tamen faciemus:

Malum ego Struthion maturum gramine molli
Seruatum, integram eorum adhuc retinens.
Haud neuus, haud rugæ, par est lanugo recenti,
Frondofo in ramo tenuis, que tenet
Rarum hiemis donum; sed tali bruma vel ipsa
Regina in gelidis pomæ ferat niuibus.

Inter cetera lanuginem suam adhuc recentem Venerem hoc malum commendat; quàm Zonas etiam in epigrammate quodam uti poma decoram laudauit, dicens:

ἀρπηγόνοον τὸ δὲ μήλον.

Nec Philippus item eam neglexit; sic canens in quodam hortulani cuiuspiam anathemate:

μήλον δ' ἰδύπνου λεπτῆ παποκωμῆρον ἀχρη; id est,
Malum & odoriferum, & tenui lanugine testum.

Optimè igitur Virgilius vt omnia Veneris poma cana dixit, id est, alba lanugine vestita:

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

In Saxonum historia legitur, Veneris in ipsorum regione simulacrum fuisse; cuius sinistra tria aurea poma teneret; quæ res cum Cypria malo ab Ouidio descripta egregie consentit; Gyraldus narrat; à se & Cœlio suo Imperatoris Numeriani numisma visum, in cuius aurea parte stolata mulier victoriam dextra tenebat, sinistra triangulum æquilaterum, in cuius summo apice, paruus circulus stabat eum inscriptione, VENERI VICTRICI. Hoc paruo circulo Cœlius umbilicum, Gyraldus speculum signari putabat. Ego vix dubito; quin triangulus & ternarius malorum in Venere Saxonica idem notat; & circulus nihil aliud significat, quàm rotundum pomum, quod trianguli veluti pyramidis à quatuor triangularibus faciebus primum constituta fastidium coronaret. Siue enim ternarius tribus pomis, siue tribus lineis vnam pomi figuram sustententibus indices; eodem res tendere videtur. Aliud est quod credo vos expectare. Sed frustra, nisi quis Deus ex inopinato adfit. Vultis vt dicam, vnde Cydonia & Citria nomina sua sortita sint; cum nec Græca nec Latina videantur? Nam quòd Cydonia à Cydone Cretæ urbe deriuent, id faciunt non tam quòd ita sit, quàm quòd, nisi id ex allusione vocum inuenissent, nihil haberent quòd nomen referrent. Quòd si à Cydone nomen traxissent, nemo, puto, id melius scire potuisset, quàm ipsi Cretenses. At hi hæc poma non Cydonia, sed Codymala mala vocant, nihil minus quàm ad Cydonem alludentes; tantum abest, vt inde credant nominanda. cuius rei testis est Hermon in linguis Creticis. Apollodorus item & Sostibus Codymali nomine Cydonium intelligunt: quod cum non faciant de communi vsu loquendi; necesse est de Cretica consuetudine statuisse, iuxta Hermonis interpretationem. Nec Veneris apud Ouidium narrationi conuenit, aurea mala primum è Cydone Cretica venisse. Mihi ridiculum quiddam in mentem venit, quod vix ausim omnino proloqui, nisi Socratis pallio mihi frontem obuoluatis. FLEMING. Tu tibi frontem pertica: nihil est in verbis flagitij. Si quid mali, id in rebus est, non in rerum notis. Et est alioquin absurdum, medicum pudore suffundi. De nobis nihil sis sollicitus. GOROP. Scitis, opinor, Allemanis malum hoc Cutte vocari, & eodem nomine apud nos membrum muliebrem intelligi. Qua de causa maiores nostri, ne pomum dicentes, alterum illud nominasse viderentur; vocabulum mutillarunt, altera syllaba ex u vocali consonante facta, vt pro Cutte sit Que, C in Q ante V consonantem semper transeunte. Ex hac tamen abbreviatione id discimus, e in Cutte longum esse debere, si pomum notetur; breue verò, si pro membro dicatur; quia tum Cæ paragogicum dūtaxat habeatur: Cæ verò Cæ firmum significat, & propterea etiam legitimum connubium quod firmum esse debet. Malum ergo nomen accepit ab vsu eo quo pomum hoc puellæ dabatur, veluti tessera firmi

Veneris poma cana.

Cydonium malum vnde dicitur.

Codymala.

Cutte.

Que-appe.

Cæ.

firmi

firmi nexus cum membro ipsius fanciendi, quod adamussum *Cut-ee*, & ad pleniorum sonum *Cutee* nobis significat; quod Latinis diceretur legitimum cum cunno connubium. Quicquid igitur de Veneris malis apud antiquos legimus, id ad Cotonea mala est referendum; qua de causa doctissime Virgilius *Cana mala amoris tesseram fecit* & in eo:

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Hos duos Theocriti versus quos est imitatus, longè superavit:

*ἦν δὲ τοῖ δέκα μᾶλα φέρω πλὴν αὐτῆ καθεύδων,
ὃ μὲν ἐπέλετο καθεύδων, καὶ αὐτὸν ἄλλα τοιοῦτα.*

quos, verbum de verbo, sic reddere possemus:

En tibi mala decem porto, illinc carpsi, ubi tu me

carpere iussisti: tibi cras mox altera porto.

μηλοβολεῖν.

μηλοβολεῖν igitur apud Græcos; non, ut vulgus Grammaticorum opinatur, à quouis malo traxit originem; sed à Cotoneo, ut poeta Latinus omnis eruditionis antiquæ thesaurus indicavit. Quod igitur Aristophanes dixit, *μήλω βληθεῖς*, id est, pomo impetit; & Theocritus:

βάλλει μὲν μήλοισι τὸν ἀπὸλον αἰ κλερίστω.

Et iterum:

ἴσχυε βαλλεῖ τοῖ πρόθυμῳ τὸ ποίμνιον ἀ γαλάτεια μάλοισιν.

est ille quidem simpliciter imitatus ad hunc modum:

Malo me Galatea perit, lasciva puella.

Sed quod malum intelligi voluerit, tum expressit, dum *cana mala*, & aurea, ad idem symbolum adduxit; quod hi quos secutus est, non indicarunt. Iam veram etiam antiqui nominis, quo & olim Cydonium vocatum fuit, & haecenus à nobis vocatur, interpretationem ita ob oculos posuit, ut melius non posset, tametsi linguæ nostræ peritus fuisset. Quid enim hoc est: *sed se cupit ante videri*: nisi illud ipsum, quod dixi, cunni connubium prisca voce significatum?

Merum video mihi obici posse; qui fiat, ut nobis nulla huius symboli memoria extet; si nostrati vocabulo tota eius ratio continetur? At ego aio, minimè obliteratam esse, licet omnium vernaculi sermonis causarum tanta sit, non apud plebem modò, sed apud doctissimos etiam quosque imperitia, ut me vel Archæomanem vel Blitomaniam videam nominandum; si quid horum ad delicatas ipsorum aures deferatur. Nobis in frequenti usu est *Quein*; sed numquam nisi pro conuicio detritæ alicui mulierculæ obici consueto. Angli idem vocabulum pro scorto vsurpant; nec quicquam est apud eos magis tritum. Eius hæc est origo. *Quee* quid significet, modò dixi: quod licet honestè olim fuerit acceptum, pravi tamen hominum mores ad turpitudinem traduxerunt, ita ut nihil aliud dici videretur, quàm illa maris & feminæ coniunctio, quæ non legitimo ritu, sed solius partis prurientis firmitate & iuramento teneretur: ad quam sanè rationem illud puto pertinere, *sed se cupit ante videri*. & illud; *βληθεῖς μήλω ὑπὸ πορνιδίου*. Qua via nomen est inuentum *Quee* in illi feminæ denotandæ, quæ nullius memor honestatis; totam sese ad eiusmodi congressus comparavit, non diutius vnus futura, quàm hæc parte sui sit alligata. Ex *Quee* in dissyllabo ad eam formulam factò, quo Feminina apud nos à Masculinis deriuantur, monosyllabum *Quein* ortum est, in quo prior pars diptirhongi sonum priorem seruat; qui si negligatur, minimo discrimine fiet ut Regina & Scorti nomen idem euadat apud Britannos: qua in re non pauci exteri, dum linguam bene pronuntiare necdum possunt, turpissimè sæpè labuntur. Discant igitur Angli nominis sui rationem; & discant nostrates seipfos intelligere, dum mulierculam quampiam per conuicium *Quein* appellant. An hæc nõ videmus clarissima indicia, Cotoneum apud nos quoque eiusdè rei, cuius apud Græcos, symbolu fuisse; si ex eius quidè nomine vile scortu hæcenus nominetur? Ego sanè nihil video manifestius teneri posse.

Quein.

Quein.

FALKENB. Neque ego quicquam amplius hic desidero; nec committere possum, ut non Theocriti nomine, hominis mihi, ut scis, familiarissimi, maximas gratias agam, quod tam insignem malorum dederis interpretationem. Neque item indignè fero, in quibusdam Virgilium eruditione multo fuisse superiorem; si vicissim hoc mihi des, non paucis etiam locis Siculum fuisse suauiore: deinde facilius esse, quæ ab aliis bene in-

uenta

uenta sunt, ea ornamentis hinc inde conquisitis reddere comptiora & illustriora, quàm eadem primum inuenire.

Sed quando iam satis de nostrati voce constat, vellem Græcam quoq. & Latinam ad natales suos reduci. **G O R O P.** Id non erit difficile, his iam ad veritatem gradibus extructis. Quod nobis breuitatis studiosissimis per monosyllabum dicitur, id prolixius apud Latinos quidem & Græcos, sed ex eadem origine nominatur. Nam *Cot-dam-ee*/ idem est quod cunno facio iuramentum, vnde Cotoneum Latinis, & Græcis Cydonium vocatur. Hæc plana sunt, & minimè distracta, aut collo obtorto ad nominum rationem compulsa: interim tamen id nobis clarè demonstrantia, quod veterum doctissimus quisque de Cydoniis prodit. **F L E M I N G.** Non possum satis demirari hanc rerum & vocum catenam, qua ad has antiquitates magis trahi, quàm duci videris: nec video vtrum magis admiret sollicitiam ne inuentionis, an perpetuam omnium inter se rerum vocumque consonantiam, citra quam difficillimè mihi noua hæc monstra probares, quæ, velut Hercules Cerberum, primus in lucem protraxisti. Verum hæc quæ de Cydoneis malis dicta sunt, non ante integram mihi lucem habere videbuntur, quàm nos docueris, qua de causa Cydonia vetustissimi illi patris Veneri consecrarint, & id quidem tam inhonesta nuncupatione? **G O R O P.** Quo rogo nomine hanc partem corporis vocassent? Des licet sexcenta nomina, an non omnia eandem rem signantem & si idem signent, quare aliud alio erit vel honestius vel inhonestius? Scimus loquendi usum in rebus eius generis impropriis & translatis vocibus, quàm propriis magis gaudere: quibus si non aliud significant; quæ fit, ut honestius dicantur locuti, quàm si propriis vti fuissent? Medici & naturalis philosophiæ periti, dum de naturalibus hominis partibus differunt per voces, ut Aristoteles vult, rerum proprias; num fortasse peccare dicentur? In animo omnis est turpitudine, non in rebus, non in vocabulis. Ille si laborer, facillimè offenditur: si interger est, nihil læditur; immo solida rerum notitia, & earum propria nomenclatura, optimus eius est pastus & verum alimentum. **Cut.** Conuertas, mox intelliges, quid huic membro sit gratissimum, quidque sibi huius maxime desideret. Quorum igitur aliam vocem quæremus, quæ non aequè naturam eius exprimere possit, & sit tamen nihilominus pro eodem intelligenda? Et hoc quidem de voce. Iam videndum an honestæ Veneri, an inhonestæ hoc vocabulo mala nuncuparint. Honestæ profectò, cum iuramenti & legitimi connubij voces habeant significationem, quibus ipsa mala nuncupantur. Neque ceteroqui Venus arbor in hanc uiam in Cypro, tamquam dotem suam, iactasset; nec mala in Regis currum Stesichorus coniecta fuisse commemoraret, nec Pallas de pomo in certamen venisset. Iam & Arabius elegantissimo Epigrammate sententiam nostram confirmavit; quod veluti truarium quoddam robur ad ipsa signa colloco.

Ἐἴδνα γάμων ἔρρηπτες ἢ ἀμβολίην ταχύπητος

Τούτο γέρας κούρη χρύσεον ἰαπθιμανεῖς;

Ἀμφω μήλον ἀνύσασεν, ἐπει καὶ παρθένον ὄρμη

Ἐίργεν, καὶ ζυγίης σύμβολον ἡ παφίης.

Aurea dona iacis, quo sint sponsalia, an ut sint

Pernicis remora virginis Hippomenes?

Malum ambo expedit, prohibens hinc impetum, & inde

Se monstrans Veneris tesserulam esse Iuga.

Alij Iunonem Zygiam siue Iugam vocarunt, à qua vicus sub rupe Tarpeia in fortium tendens, Iugarij nomen accepit. Hic noster poeta Venerem hac nomenclatura dignatus est, cui vincula iugalia, non minus quàm ipsi Iunoni, curæ esse scimus. Quamobrem clarè iam videmus, mala Veneris pudicæ symbolum principio fuisse: quamuis postea corrupti hominum mores eo cæperint abuti, ut ferè in omnibus ritibus rectè institutis accidere videmus. Quid quòd ipsa Tellus, secunda omnium mater, mala aurea pronuptialibus donis Ioui & Iunoni matrimonium contrahentibus protulerit, ut in Ægyptiacis suis Asclepiades prodit. Quis igitur non fateatur, ad castos amores hanc tesseram pertinere, quæ summis Diis data fuerit, tamquam præclarum thalami iugalis honorarium? Sed quòd plura adfero testimonia? Vnum instar erit plurimorum, ab ipsa Herimathena optima omnis sapientiæ & antiquitatis interprete petitum. Quemadmodum

Cotonei malum unde dicitur.

Cydonia mala quare Veneri consecrata.

Cut.

Iugarij vñ Iuga Iuno, Iuga Venus.

G g dum

In quacumque die comederis: ex eo, morte morieris. Verum quod conducit, eius sententia, & primi parentum lapsus meminisse? Quorsum? eod nimirum, vt mox Deum oremus, quo perditam vitam nobis benignitate sua omnipotenti restituat, & perpetuo ab insidiis Draconis nobis caueamus, cuius suafu crudele illud & lethale pomum parentes nostri comederunt? Malum ergo, si de prima origine interpretemur, omnem arboris fructum significat, qui hominum conuiuio est idoneus: qui vetus fuit huius vocabuli vsus, quod Eustathius non semel annotauit. Post diluuium verò, cum Deus Nocho & liberis eius carnis etum permisisset, Malum dici coepit omne animal quadrupes, quo homines vescerentur. Neque enim solùm oues, sed capræ etiam, & cetera animalia pascētia, hoc nomine apud veteres intelligebantur: quod Eustathius item pluribus locis tradit. Verum per singularem quandam excellentiam, ouillum pecus hoc nomine notatur, eo quod inter quadrupedes primas tenere videatur, & non ad aliud comparatum, quàm vt conuiuia ex eo apparentur. Ridiculum itaque se præbuit Varro, dum *μῆλον* pro oue apud Græcos à voce animalis dictum putans, scribit *βῆλον* potius, quàm *μῆλον* dicendum fuisse; non secus atque Latini dicunt balare. Neque enim sola ouis hoc nomine, sed alia etiam animalia præcis vocabantur, et si Latinus cum Græco de sono animalis contendere velit, mox in triumphum ducetur; propterea quod *βλῆλον* longè melius ouillam vocem exprimat, quàm balare.

Malum, primo arboris fructum, postea omne animal quadrupes, quo homines vescerentur, significauit. *μῆλον* malum siue pomum. *μῆλον*, id est, ouis &c.

Malum, quoduis pomum dici potest, sed dum solùm ponitur, maxime pro Cydonio accipitur. Melinum oleum. Gemætel.

Ficus Indica, vntum fuit pomum, quod primi nostri parentes comederunt.

Fig. Form. Ficus unde dicitur. *Cydonium* malum, coniugij symbolum, à ficu Indica maxime differt.

Malum igitur quoduis pomum dici potest: sed dum solùm ponitur, pro Cydonio maxime accipitur; eo quod hoc præstantissimum habeatur. Hinc oleum Melinũ cum dicimus, oleum Cydoniorum intelligimus. & similiter qui dixit, *Malo me Galatea petiit*; Cotoneũm dedit intelligendum. Porro cum mala à mensa siue conuiuio nomen habeant, sitque primus conuiuij gradus inter maritum & vxorem: non male illi cogitarunt, qui coniugij notam Malum esse voluerunt, indicantes in coniugio omnem vitium communem esse. Hinc Allemanni hæcenus vxorem *Gemætel* vocant: nos *gemætel* id est, coniugij consortem. Quamuis enim cum aliis etiam mensam communem habere soleamus, tanto tamen hac in societate potiore locum vxor habet, vt omnes ceteri potius, quàm hæc vna, sint deferendi. Qua ergo ratione *Gemætel* Germanis vxor vocatur, eadem malum primus antiquissimi conuiuij apparatus, coniugij symbolum habetur. Atque hæc quidem vna sit ratio de toto malorum genere sumpta. Altera est Cydonio magis peculiari; ex eisdem etiam sacris litteris originem ducens. Primi illi nostri maiores diligentissimè semper curandum sibi existimabant, vt nusquam monumenta deessent, quibus ad vitia fugienda & virtutem amplectendam homines incitarentur. Non igitur satis putauerunt, si maxima primi conuiuij illius frugalitas per Mali notam in mentem subiectis, ad obuium & parabilem victum maritũ & vxorem hortaretur; atque simul commonefaceret, perpetuam viri & mulieris coniunctionem esse debere: nisi & aliud addidissent, quo & historia præca notat dignissima, & optima vitæ præcepta simul continerentur. Hoc autem tale fuit. Primi nostri parentes cum Serpentis fraude seducti vitium pomum comedissent, sensissentque quantum inde mortiferi veneni in corpus & animum grassaretur; nomen ei dederunt, quo prorsò, eius abominatio, & verso, venenum indicaretur. *Fig* enim dicitur per Apocopen, à *Figgy* id est, tu abominatio: eodem modo quo *Form* dicimus à *Forma* id est, præcedens mensura: à qua voce Forma fit Latinis, vox versa *Fig* nihil aliud notat, quàm venenũ, ad rationem nominũ ichnæorum. Hinc Latini ficũ acceperunt, Græci corruptè *σῆλον* nominarunt. Quàm verò superba hæc esset ficus, & quàm ingenti foliorũ tum copia tum magnitudine luxuriaret; tum etiam quàm ratum, quàm exiguum, quàm dulcem fructum produceret, Indoscythica mea satis declararunt. Vt igitur maiores nostri monerent, ab hac arboris natura prorsus esse fugiendum, ad coniugij symbolum eius arboris fructum acceperunt, quæ quam maxime à ficu illa amplissima & superbissima distaret. Quod si quis scire volet, quàm peritè fecerint; Cotoneam cum ficu illa Indica conferat, inueniet nimirũ ingentẽ esse ficũ magnitudinem: Cydoneam verò tam exiguam esse, vt malorum omnium sit infima: illam pomum habere exiguum, hanc omnium malorum maximum: illi esse pomum dulcissimum, huic austerum & sapore adstringentẽ. Nunc itaq, quid aliud nos hortantur, qui malum Cydonium matrimonij & Veneris iugalis tesseram faciunt, quàm vt superbiam, & arrogantiam, & omnem superuacaneum ornatũ quam longissimè fugiamus, & infimi hac

hac in parte simus. Verum vt infimos nos esse volunt magnitudinis & foliorum luxurie; ita fructum à nobis cupiunt proferri omnium maximum & copiosissimum; & eum, qui dulcorem suum non facile in bilem conuertat, sed salubri adstringendi facultate totius corporis vires corroboret atque confirmet. Liuidum etiam fici colorem procul abesse iubent, & eius loco aureos solis radios in omnibus operibus studiũque nostris volunt fulgere. Iam nec tenera illa malorum lanugo suo caret significatu, qua clementia diuina erga genus humanum, & mitis conuersatio cum omnibus denotatur. Nisi enim mollis diuinæ clementiæ lana ab ipso agno qui Christus est, accepta, omnia opera nostra circumdet, frustra laboramus: quam apex in flaminũ Dialiũ pileis olim præ se ferebat. In omni ergo humilitate, quæ virtus est apud Christianos summa, licet à Philosopho fortè inter vitia numeraretur, fructus maximos proferamus, & illos quidem aureo colore splendentes, prorsus ex aduerso cum illa arbore dissidentes, de cuius pomo primi parentes lethale mortis virus iuxerunt. Si quis pro amplitudine significationis hoc symbolũ explicare niteretur, nã ille maximum volumen impleret, & ne sic quidem fortassis omnia mysteria in lucem proferret, quæ de cydoniæ & fici illius comparatione dependent. Mihi sufficit, tantulum modò indicasse, vt inde liceat de ceteris facere cõiecturam. Cogitemus itaque in omni cõubio, de malo permisso, & vitio, de superbia fici, & cotoneæ arboris humilitate, de huius copioso & aureo pomo ingentis magnitudinis, & illius exiguo & raro fructu, in foliorũ tenebris delitescente: atq, ita hanc nobis sequendorũ, illam fugiendorum perpetuò tesseram habeamus. Aureum igitur malũ, aureos è conubio fructus, & eos maximos, & robustos, notabat; planè fici illis execrandis dissimiles; & idcirco symbolum significantissimũ Veneris iugalis, ad quam omnia nomina referuntur.

Cydoniorum malorum lanugo tenera quid significet.

De Medico malo id quæri potest; quam causam Latini Citrion id vocarint. Poterat quis facile suspicari, è Punica lingua, quæ Arabice vel cognata vel soboles est, nomen hoc ad Romanos venisse: nisi Iuba diceret, Hespericon malum ab Afris nominari, quod qua Mauritana voce diceretur, adiectum non habemus. Constat de Plinij confessione, Citri nomen duabus æquè arboribus tributum fuisse: alteri, quæ malum Medicum ferret; alteri, è qua monstri pretij mensa dolerentur; ita vt certò asserendũ sit, in nomine nihil discriminis fuisse; & longè eos à Plinij sententiã discedere, qui eo capite quo de id genus mensis tractat, Cedrũ pro Citro scripserunt. Nam cum dicit aliam esse arborem eodem nomine, quæ malũ ferat; si pomum quoque Cedron erat vocandũ, debuisse tertiam quoque arborem eiusdem nominis addidisse, quo tota homonymia absolueretur. Nam hanc lectionẽ sequendo, Cedrus vna mensis dicata esset; altera malum Medicũ ferret; tertia trabibus ad multa secula duraturis quæretur: vt interim de Oxycedro taceamus. Sed frustra hanc scripturam oppugno: cum perspicuũ sit ex Athenæo, Eustathio, Galeno, Pamphilo, & aliis, pomũ non Cedrion, sed Citriũ vocari: immo Cedrion apud Pliniũ esse primũ humorẽ, qui ex tedis, ignis vi, ad modũ aquæ exsudet. Vt igitur succinctè id quod hinc sentio, aperiam: crediderim Romanos arborem, è qua crispa materia secabatur, principio Citrum nominasse, voce Africana nonnihil corrupta, quæ de Arabũ consuetudine in priore syllaba erat adspiranda: & sunt qui alteram etiam cum littera adspirata pronuntiant, quod videtur Bellunensi correctori in Abencina placuisse: ex quo & illud conicio, de vocali prioris syllabæ nostris fati certã esse rationẽ, aliis Chithran, aliis Chathran legentibus. Significatur autem hac voce Arabibus Cedrus, vt licet apud omnes Arabes medicos videre. Quamobrè cum Pœni Chitram pronuntiant, & in Cedrorũ genere arboris illud genus, è cuius nodis mensa fiebant, collocarent, Romani nomen ad linguam suam accommodarunt, littera Chet in tenuẽ mutata: signari interim Cedrũ & Chithran idem notare, cum tamẽ Arabes vno Chithran nomine, & Cedrum quæ in Libano crescit, & arbor è qua mensas Romanorũ luxus maximis & infans sumptibus comparabat, videantur nominasse. Quamuis enim Theophrastus, vt videtur, siluestre Cupressum dicere maluisset; mihi tamẽ Africani hac in re magis placet: propterea quod facultate & crescendi modo propius cedrum quàm cupressum imitetur; & hæcenus etiã arbor vitæ dicitur, de qua nota cedro cognatã esse liquet, quia Cedrus olim fuerit vita mortuorum, teste Dioscoride, nuncupata. Ramos item non ad cupressi modum secundũ caudicẽ sursum attollit, sed à caudice exterius ad angulos ferè rectos porrigit. Quid quod folia etiam, & eorũ crescendi modus, magis cum cedro, quàm cum cy-

Medicũ malũ Citrium.

Citri nomen duabus arboribus tributũ.

Cedrion.

Cedrum.

presso quadrent, quæ multa ordine plano connexa, non nihil ad Conchitidis aut filiculæ formam accedunt. Odor item acutissimus, & sapor Sabinam potius, quam Cyparissum æmulatus, ad naturam Cedri propius videtur pertinere. Et si mihi nova nomina fingere liceret, dicerem hanc Mafculam Cedrelaten; & alterâ, quæ in Amano & Libano crescit, feminam esse, propterea quod crispus nodorû plexus, & lignû magis exsuccum, & minus resiniferû, masculam indolem sapere videatur: contrâ ad feminâ, lacrymæ abundantia, & materiæ vastitatē spectare credam. Nos igitur in ea sumus opinione, Thuium Theophrasti, esse Cedrum, siue Cedrelaten masculâ; quia minus habeat resinæ, & plus nodorum. nec dubito, si Theophrastus oculatus huius arboris pictor fuisset, quin in hanc etiâ concessisset sententiam, quam Arabes & Africanos tenuisse suspicor, ex eo quod eodem nomine Cedrum & Citrum vocarint, quasi videlicet eiusdem generis essent, solo sexu differentes. Romani igitur ignorâtes idem Chithran Africanis esse, quod Græcis & Latinis Cedrus, ex Chithran Citrum fecerunt, adspirationibus sublatis, & eodem nomine malum Medicam, citra scripturæ discrimen, contra quàm ratio postulabat, vocarunt. Quamobrè melius fecissent, tû etiâ naturæ & linguæ, è qua harû arborû nomina venerunt, conuenientius; si mensas quidem cedrinas, malum verò Citrium nominassent.

Quantû autem inter Chithran, siue Chethran, & Citron discriminis sit, de rerû quidem significatarû diuersitate Arabes docebunt: at docere non poterunt ex veris horû nominû causis. Nos has nobilissimarû arborû nomenclaturas è primo sermone remansisse arbitramur, eo maximè ducti argumento, quod cum earû ratio nulla vel apud Arabes, vel Chaldæos, vel Hebræos extet; apud nostrates clarissima reperitur. Quàm cedrus de larga lacrymæ copia sit celebrata, illud ostendit, quod quæuis resiniferarû arborû tenuior succus igne excoctus, Cedrum vocetur, vt in Plinij cõmentariis cernitur apertissime. *Chit* thran autem ad verbum & singulas litteras, significat, fundens lacrymam. *Chit* enim pro fundo apud nostrates ita scribendû, non *Ciet*; cum ipsa pronûciatio, tum *Chit* Græcorû, quod de nostra voce manauit, ostendit: quod latius in hieroglyphica litteræ *Chet* figura demonstrabo. Chithran ergo vocabulû Arabibus & Afrijs visitatum, arborum de lacryma signat; eo quod eius præcipuus vsus esset, cum ad alia, tum ad mortuorum corpora conseruanda. *Chyan* enim nobis nõ tantû oculorum lacrymam, sed omnem liquorè notat, præsertim eum qui igne exprimitur, atq; inde oleum ex balenarum aruina excoctû, *Chyan* vulgò nominamus. Primûm itaq; & summo iure vox apud Arabes conseruata, Cedrelatæ conuenit, inde similitudinis causa, ad Thuiam, mox etiam ad cedros minores iuniperis cognatas transiit. Citron verò longè aliud notat, atq; id quidem ex præcipuo mali huius vsu desumptû. Quis enim nescit, hoc pomi genus ad nihil petinde valere, atq; ad sitim succo suo frigidissimo maximoq; sedandâ. Quocirca ab eo nomen accepit, quod magna vasa potiora honore defraudet, non sinens nimirum ea in illo apud sibiundos pretio haberi, quo haberentur, si hoc pomo homines carerent. Galenus aquam momento aceti adiecto, ad sitim extinguendam plurimûm cõmendat, ob celerem aceti per corpus transitû. quam eius sententiã agricolæ in siticulosa Apulia, & remiges in æstatis feruore verissimam esse, assiduis docent experimentis. At succus citriorum longè vehementius & penetrat & refrigerat, eaq; ratione optimum est æstuantibus faucibus ardoris amuletum. Et quamuis varia sint Citriorum genera, variis nominibus nunc distincta; omnia tamen ad refrigerandû maximè quæruntur: ita vt succus tum Citriorum, quæ per magnitudinis excellentiam generis nomen tenent, tum Limonium, saccharo incoctus seruetur ad ardores febriles mitigandos, siquando malorû copia deficiat ægrotos. *Itit* antiquum nomen est, pro maiore poculo hætenus in vsu, præsertim eo, quod ex asserculis oblongis, siue leuigatis scandulis, cuparû ad modû, vel ferreis, vel æreis, vel ligneis circulis colligatur. Præceptores nostri Bulecoducenses nõ malè, mea quidem sententia, Obbam Latinis dici posse arbitrabantur. Iam eer honorem, *hooon* idem quod defraudo significat. *Ititeeron*, & *syncoptòs*, *Citron* idem est ac si dicas, defraudans obbam potoriam honore suo. Limon autem si ad eandem linguam sit referendû, idem erit quod defraudo viscum, quod *Lim* nobis vocatur. Nihil enim est in omni medicamento vnuerſita te quod cuiusuis generis viscidæ materiæ, quàm hoc pomum, magis aduersetur. Hinc præsentissimum est remedium ad omnem tenacem humorè cum in alijs corporis partibus, tum maximè in vasis vtinarijs incidendam; quo suo beneficio calculo-

Cedrelata.

Cedrum.

Chit. Ciet.

Chitran siue Chethran unde dicitur. Chyan.

Citron unde dicitur.

Itit.

Itit. hooon.

Limon unde dicitur. Lim.

calulorum morbo obnoxii maximè succurrit: & eo quidem magis, quod non solum viscida, è quibus lapides generari solent, discindat; sed frigus etiam adiungat, quo calor, calculorum coctor, vires suas perdat. Qui extra corpus huius facultatis periculum facere volet, is margarita parua succo limonum depurato submergat, & post dies aliquot puliculam ex iis factam deprehendet. Quod si quis contendat Lima primogenium nomen esse, atque inde Limon fieri, forma vocabulorum apud Hispanos argentium; is certè ne sic quidem elabetur, vt non accipiat à me interpretationem eodem tendentem. *Lim-hat*, & adspiratione & T abiectis, de consuetudine compositionis nostratis, idem est quod odio habens viscum: quæ nota omnino Limis, Limonibus, & Limoncellis malis, in hoc genere minimis, quamoptimè congruit; eo quod nihil sit quod maiore incidendi vi pollere cognoscatur. Nec mirum, de Cimmericorum sermone nomina his malis data: propterea quod Persia & Media ab Indocytis & Sacis, quorû linguam Cimbricam fuisse, in Saxonis demonstrauit, ea accepisse videantur. Porò quæ in Citriorum genere fuluum auri colorem maximè imitantur, vulgò Aurancia dicuntur; triplice & ipsa discrimine distincta, alijs acido, alijs dulci, alijs ex vtroque mixto sapore nomen dante. Quod si Aurancia reuera dicenda sint, nemo dubitabit, quin Romanorum linguæ nomen hoc debeatur. Ceterum Scholiaſtes Nicandri Medicû malum sua ætate Nerantzion vocatum fuisse scribit. Hermolaus, si rectè memini, nomen deducit à Narrantia, quo nomine Prolemæi Narangam intelligere videtur, è qua vult Herculem aurea mala portasse: quod, quia Virgilio & veritati repugnat, quæ Cotonea docet aurea mala vocari, vanum existimo. Quod si Cydonia Narangia vocarentur, facile mihi persuaderetur, ex ea Africæ vrbe Herculem mala sua detulisse. Quod si Nerantzion prisum nomen sit, haud secus atque Citron, dici posset inde datum his malis fuisse, quia inter Citria infimum ordinem tenerent. Siue enim refrigerandi, siue incidendi facultatem in succo spectes; longè sunt Citrijs, per exochen sic vocatis, & toto Limarum generi postponenda: quod *Ner-rants*, id est, infimi ordinis siue infimi lymbi appellatio, non malè indicaret. Et hæc quidem obiter de vocum Chithran & Citron differentia: quæ quia non fuerat à Romanis obseruata, factum est, vt malum Medicum, & Thuium, siue Cedrelate mascula eodem nomine dicerentur.

Verûm quia Chithran de antiqua Cimmericorum lingua deduxi, non puto vobis ingratum fore, si Thuiæ quoque nomen ex eadem interpretemur. Aio igitur, gemina de causa hanc arborem sic vocari: altera quidem, quod in sacrificijs thuris loco frequenter haberetur, vt Virgilius de Sabina dixit:

Herbaq; thuris opem prisca imitata Sabina.

Altera verò, quod nõ solum ad homines per sacra custodiendos faceret; sed hanc etiam naturam esset sortita, vt quæcumque ex ea fierent, diutissimè custodiri seruariq; possent: quoniam *Thui*, & inde *Thui* nihil aliud sit, quàm ipsa custodia; cum articulo expressa. Perdurat enim, Theophrasto teste, materies hæc omnino incorrupta: è cuius radice, cum nihil crispus sit, pretiosissima opera conficiuntur, tanti apud Romanos æstimata, vt mensas ex hac confectas feminæ maritis margaritarum pretia exprobrantibus regerent; tamquã in iis non minus insanus quàm in vnionibus fieret sumtus. Harum cum singulæ latifundiorum pretia superarint; quid tandem de infatiabili Senecæ luxu cogitandum; quem Dio prodidit non vnã, vt Ciceronem, & Asinium Polionem, & nescio quos alios; sed sexcentas habuisse, clarissimo indicio, quàm semper probitatis prætextus profundissima vitiorum barathra potuerit celare. Si nostra ætas colendæ propagandæque huic arbori, quam vitæ meritò vocant, ob singularem inter omnes durationem, tantum diligentia adhibeat, quantû pecunie Romani vitis eius emendis, breui fiet, vt integras siluas habeamus; cum non minus quàm buxus defractis ramisculis depaangi possit. Homerus hanc dedit Calypso vrendam. qua in re Plinij memoriæ succurrendum, scribentis, hanc inter odores in delicijs Circes enumerari, & eodem versu Cedrum Laricemq; à poëta adiici, magno, vt inquit, errore eorum qui odoramenta hoc nomine intellexerunt. Profectò in iis quæ de Circe Homerus cecinit, nulla Thuiæ mentio, tamen si fumo domus ipsius prodita fuisse videatur. Locus quem sese meminerat legisse, non de Circe, sed de Calypso tractat, vbi inter ceteros hi sunt versus:

Aurancia mala.

Nerantzion malum.

Thuiæ arbor unde dicitur.

Mensa pretiosissima aput Romanos è radice Thuiæ arboris.

ἄρ μὲν ἐπὶ ἰσθμῶν μέγα κείτο· τήλοσε δ' ὀδμὴν
κείρου τ' ὀκείλοιο θύουτ' ἀνὰ νῆσον ὀδῶσαι. id est:
Igne focus magno lucebat: at insula longè
Fisilis & Cedri & Thuij spirabat odorem.

Virgilius perpetuò cum priscis poetis de victoria contendens, & frequentissimè trium-
phans; hoc loco nescio quid mihi videtur prospexisse, quod ab aliis non fuerit anim-
aduersum. Quod enim de Calypso Homerus dixit, hic Circe suæ tribuens, vno mihi
Cedri nomine & Cedrum & Thuium videtur comprehendisse; non paruo mihi argu-
mento, eadem ipsum mecum sensisse, & Thuium cedrino generi annuerasse: quod
nisi putasset, haud dubiè numquam Thuium nobilissimam arborem silentio præter-
misisset. Elegantius igitur & artificiosius illud est, quàm vulgò æstimetur:

Vrit odoratam nocturna ad lumina cedrum.

quo, mea quidem opinione, & Cedrum & Thuium voluit complecti. Quod si Plinius & ceteri intellexissent, numquam malum Medicam, siue Assyriam, siue Persicam, & Thuium eodem nomine vocassent, sed Thuium, non Citrum, sed Cedrum dixissent. Sed condonandum Romanis, si Afrorum nomine Chithran, decepti, Thuium Citrum vocarint; cum ne Theophrastus quidem Thuium cedrini generis esse norit. Laudemus itaque Maronem, qui vno nomine duo Cedrorum genera coniunxit. Interim tamen minime recipienda eorum sententia, qui Cedria mala pro Citriis scribunt, quo Thuium ad Cedri nomē pertinere videatur: quod prorsus pugnat cum omnibus vetustis Græcorum & Latinorum libris. Quod si Plinius Thuium Cedrum iudicasset, profectò in Cedri historia non erat hoc genus omisurus, quod ob ingēs nodorum pretiū facile tenuisset principatum. Quamobrè dum de acere tractat, sic legendus, vt ipsum citro, non cedro, secundum esse dicat. quod scripturæ vitium alibi quoque in eodē auctore surrepsit. Est præterea in Plinij & Homeri oedicibus θύον, non θείον, vt pleriq. habent, legendum: quod cum ex Theophrasto, tū ex illo manifesto tenetur, quod Plinius dicat, quosdā nomine Thuij odoramenta generatim intellexisse, quæ non θεία, sed θύη dicerentur, vt Galenus in Hippocratis glossis annotauit. An verò per diphthongū scripserit Homerus, an non, id necdū puto satis liquere; tamen si mihi cum simplici vocali pronunciaſſe videatur. Etymologiæ quidem congruentius esset, si duæ vocales cōmiserentur: sed deriuatis frequens est, non nihil à primis suis natalibus degenerare. Apud Dioscoridem in capite De croco θύαν eū diphthongo legimus: quo loco Ruellius mortarium vertit, longè ab auctoris mente aberrans: οἱ ἐν τῇ ἰταλίᾳ τὴν θύαν βότῃοντες τῆσιν ἰσθμῶν, id est, in Italia ij qui Thuiam tingunt, hoc vruntur. Croco enim colorem huic ligno inducebant, vt & nostrates molluscis, & bruscis, & reliquis crispis lignis. Vel Thuiam igitur vel Thuiam per duas syllabas pro arbore dicemus: at dum mortariū significare volumus, rectius per tres syllabas θυείαν pronūciabimus; tamen si apud Grammaticos id parum sit obseruatū, qui θύαν pro mortario quoq. dicūt. Aristophanes certè tribus syllabis enunciauit, quarū mediām per diphthongum Ep̄ilon Iota scripsit: τὴ δὴ τῆσιν τῆσιν θυείᾳ ῥησῆσιν. Quod autem Plinius scripsit, in eodē apud Homerū versu Laricem enumerari, id lapsi memoria, qui doctissimo cuiq. inter properandū frequenter obrepit, condonandū. Meminit poeta eodem loco, sed non eodem versu, Alni, Populi, & Cupressi; sed de Larice nē litterulam quidem adiecit. Verum satis iam de Thuiio siue Thuiā, quæ nunc eadem de causā arbor vitæ dicitur, qua olim Thuiā est nominata: vel quia sacrificiis quibus odor huius gratus erat, vita mortalium custodiatur. D. Hieronymus hanc arborem Hebræis dici putat θύη vel θύ, quam sacræ litteræ ex India adferri dicunt: cum Theophrastus eam ex Cyrenaica, Plinius ab Atlante, & Anchoratio, Mauritanix monte, hanc materiam adferri scribat. Sed Ophir, vnde aurum & Legom adferebatur, Africanæ Indiæ est adscribendū. Ego facile mihi persuaderi permisissim, Legom hebenū esse, nisi hebenū hauben apud Hebræos diceretur, vt est apud Ezechielem cap. 27. Verum quia Hebenum vox est Latinis, Græcis, Hebræis, Arabibus, & Chaldæis cōmunis: suspicor eam ad antiquissimos referendā natales. Hauben namq. quid aliud est, quàm haut-eben: & Tau de more exempto, hauten, id est, lignū osseum, siue lignorū os. Sic autē olim fuisse elatū hoc vocabulum, Hebræa scriptura testatur, quæ sic habet הַבְנִי, vnde apud Arabes Habenum remanuit, Græcis & Latinis longius digressis.

Thuium siue Thuiā arbor, cedrino generi annuerat.

Thuium siue Thuiā arbor, vitæ dicitur.

Hebenum.

Haut-eben.

Iam

Iam quia tam perspicua est huius nominis apud nos ratio, ligni naturam adamussim explicans: quid miri esset, si ex eadem lingua Legom vocaretur omne lignum pretiosum; quo alia ligna teguntur? Leg-om ad verbum sonat id quod alij in modum recto-rij circumponitur, atque hac ratione nomen esset omni materix, qua rudiora ligna vel recto opere vel resillato vestiuntur. Hinc Latini fortasse ligni nomen ad quatuor arborum materiam transferunt, perinde atque Hispani omnia mala Mattiana, & omnes auculas passeris solent vocare.

Nunc tempus, vt à Citro & aureis pomis, quorum occasione hæc à nobis dicta sunt, digressi, ad Propertij pomosam coronam redeamus. Solere autē ex pomis coronas fieri, cum ceteri, tum Philetas etiam ostēdit, Venerem canens à Bacchi temporibus pomum Hippomenis decerpississe. FLEMING. Quandoquidem modò, inter cetera, vnde mala dicantur, ostendisti, & quàm latè hæc pateat nomenclatura, si de natalibus suis examinetur, velim vt itidem nos doceres, quid pomum propriè designet, & quæ nomine suo complectatur, tum etiam reliqua pomorum genera adderes, quo pomosam coronam absolurā haberemus. GOROP. De pomis non difficulter respondebo, si mihi de nostro sermone primos vocabuli ortus sumere permittetis. Et quid ni permittatis, si nec Græca, nec Latina origo queat inueniri? Boom siue Baum nobis dicitur quævis arbor, à Bau, quod est extruere: quoniam præcipua primaq. structura ex arboribus consistit, vt hæctenus ferè in montibus pastorum casæ arboribus connexis fiunt, superne scandulis vel arboribus iunctis, cespitem sustinentibus. rectè Latini nomen genericum ad illam differentiam contraxerunt, vt pomi nomine, quod ex Boom factum est, eas solas arbores notarent, quæ non solum materiam ædificiis, sed alimentum etiam hominibus subministrarent. Plinius glandes pomorum numero exclusit, nescio qua de causa; cum mihi æquè atq. nuces iuglandes, & nuces pineæ, de quibus non dubitatur, hanc nomenclaturam videantur mereri; id quæ eo magis, quod homines quondam glandibus victitasse dicantur. Quicquid Romana consuetudo voluerit; illud saltem cōstat, nominis rationem latissimè patere; & nucem etiam de glandis genere videri: propterea quod nux Iouis glans, siue iuglans nominetur: atque ideo si iuglans ad pomi nomen admittratur, pari iure omnes glandes admittendas, aut saltem eas quæ sint edendo; nisi fortasse cultas dumtaxat arbores, pomos dicendas puter; quemadmodum & nos, dum boomgart pro pomario dicimus, glandes non comprehendimus; propterea quod hoc arborū genus non ferè custodiatur, sed passim vbiq. locorum crescat: ex eo glandi nomini tributo, quod sit Gal-lands, id est, regionis siue terræ gratia, siue id quod terræ placet. Quid enim magis videtur telluri acceptū esse, quàm arborum illud genus quod glandes profert: quandoquidem vbiq. à terra sua, quasi sponte, procreatur? Nos totum glandiferū hoc genus Cit siue Cit vocamus, de solidò arborū robore nomen fabricati; & inde rectè glans dicitur: à qua voce ἀνυλος siue ἀνυλος apud Græcos ilicis glans nominatur, quam Lacon in quinto Theocriti Idyllio in Illice, nō in malo montana, nasci dicit; addens scabrosā squama regi. Galenus Illicis glandē, & Comari, acerba siue ερυφά perpetuò manere dicit: quod non omnibus satis placebit; minimè mulieribus iis quæ in Lusitania & reliqua Hispania glandibus ilignis, vt delicatis escis, vescuntur. Nec Comari fructus, siue arbuti, vt Latini vocāt, perpetuò acerbus videtur manere; quamuis tardè admodū maturetur, & vix antequā nouus veteri succrescat. Simul enim & flores habet & anni præcedētis fructus; hos fragis figura similes, sed sapore longè inferiores, qui illis vinosus est, his fatuè dulcis, & nescio quid farinæ præ se ferens, illos non ab similes floribus minutis vernis, quos Liliū conualliū nobis vocatū profert. Fateor equidē cum Galeno, siccitatem & adstrictionē quandam ex acerbo sapore in his fructibus manere; sed minimè dici posse, vt ipse vult, perpetuò acerbos perdurare, certissima feminarū & puerorū testificatione reclamāte. De Illice poterit excusari, si fortassis in Asia ilicis illa dumtaxat generā crescant, quæ glandem acerbissimam ferunt. In Hispania enim est ilex quam Encina vocant, glandē ferens edulem, & ligni neruosa duritie, & pulcra venarū pictura, & glandis suauitate. Illex dici videtur quasi Cit-icit, id est, nobile robur. Sunt præter hoc genus quatuor etiam illigni, vt videtur, roboris differentix: quarum vna est eius arboris quæ folio ilicis est, sed maiore; & ex altera parte albicante, nec prorsus tam spinoso; in quo peculiaris quædam nota, Coryledones ex altera parte, ex altera veluti verrucas habere.

Legom lignū, leg-om.

Pomum & Boom unde dicitur, Boom, Baum.

Nux Iouis glans, siue iuglans.

Glans, glandes, Gal-lands, Cit, Cit, Encina.

Comari siue arbuti fructus.

Illex unde dicitur, Cit, Cit, ilicis varia genera.

Huic

Huic altera arbor perfimilis, sed folio ex vna parte magis viridi, & ex altera magis albo, ceteroquin ilicis, nisi maius esset; in quo aliquando quidem, sed rarius, acetabulorum rudimenta spectantur. vtrumque hoc genus *Meflo* rustici Guadalupenses vocant: sed posterius propter insignem corticis adstrictionem, ad fluxas gingiuas in vsu habent: Vtrique glans perpetuo acerba. Accedit tertium genus, cui folium nigrius est, quam Ilici, longius latiusque, non parum accedens ad Aquifoliae ilicis & formam & colorem; cui glans quoque, vt prioribus, acerba. Quartum genus pumilum est, folio omnino Ilicis illius ceteris nobilioris, nisi quod minus fructus potius quam robori adscribendum: Hispani *Caraskeas* appellant. Hoc glandem fert & grana *Kermes* nominata, longè diuersa ab iis quæ hoc tempore *Cocinille* vocantur. Tunæ tubercula, quæ faciliè in illud insecti genus transeunt quod testaceo operculo rubro, & nigris punctis insigni, alas tegit, corpore breui & rotundo, vnde porcelli, quem *Cocinillo* Hispani vocant, nomen accepit: quæ res medicis bene notanda, quo videant, qui compositionem Arabicam *Alkermes* vocatam Pharmacopœi parent. Tot igitur Ilicis genera apud Hispanos inuenias, quot omnino roborum genera apud Theophrastum. Verùm de his accuratius agere non est huius temporis.

Glandes inter poma censentur.
Balanus.
Walt.
Mimacylum.
Comarus, s. Com.
Arbutus, s. Ar.
Bueta.
Boet.

Vnedo.

Mespilum.
Mis-pel.
Mis.
Pel.

Nominum dumtaxat origines & antiquitates vetustissimas ex horum consensu quaerimus; & glandes etiam inter poma censeri, absurdum non putamus. Quod ex eo quoque verisimile redditur, quod ad genera nucum videantur pertinere. Græci *Balanos* glandes nominant, quasi *Walt-not* id est, nux siluarum diceretur, duplici *W* in *B* mutato. Sed quia *Comarus* *Mimacylon* ferre dicitur, videntur prisca, per contemptum, arbuti fructum glandibus annumerasse. Nobis enim nihil aliud est *Mis-mp-erckel* quam si quis per derisionem diceret, Ego sum glans, noli me tangere: siue glans, caue ne tangas. *Com-ar* verò, vnde *Comarus*, idem est quod veniendi tarditas, quia nimirum fructum suum tardissimè perficiat, & florem sub brumam ferat. Eadem de causa Latinis *arbutus*, veluti *ar-bueta* id est, tardum spoliium, vel tardum remedium, si ab *Ar-boet* deducatur. *Mimacylum* igitur *Comari* siue arbuti pomum dicitur; vt homines intelligant, ab esu eius abstinendum; propterea quod ebrietatem & cerebri perturbationes inducat: *Plinius* hanc arborem *Vnedonem* etiam vocari scribit; à quo *Galenus*, ætate posterior, dissentit; aienis Romanis Græcorum *Epimelida* hoc nomine dici; cui tamen fructui idem quod *Mimacylo* imputat, caput nimirum ab eo lædi; quod neque de *Mespilis* nostratibus, neque de *Azarolis* Neapolitanis verè dici potest; cum ab vtroque horum genere sumi supprimantur. Mirum *triccoca* *mespila* & *mespila* nostratia sub eodem nomine comprehendit; cum ligno, foliis, magnitudine, fructu, & eius colore, quàm plurimum differant. Sed hoc nihil ad nos. Causa certè nominis vtrique arbori communis quodam modo videtur. Sicut enim *Cerasa* nuntium ferunt alimentorum reuertentium; ita *mespila* matura mihi occlamant, tempus iam adesse, quo nihil amplius in arboribus restat spoliandum. *Mis-pel* enim idem est quod deficit spoliium, siue frustra in pomario quaeras quod expiles; quod vt fateamur *Azarolis* siue *Triccocis* etiam conuenire; alteri tamen teneri longè magis conuenit; vt nemo, qui vtrumque genus nouit, potest ignorare. In his si de sapore esset sententia ferenda, ego litem secundum *Plinium* iudicarem. Vtrumque enim *Mespilorum* genus eo est sapore, vt non vnum tantum, sed complura etiam edere soleamus. *Mimacylum* verò tale est, vt nullius palato putem placere; & idcirco *Vnedonis* nomen magis quàm vel *Epimelis* vel *mespilum* tricocum meretur. Miror præterea in *Galeno*, quod *Phagi* glandem acerbam etiam faciat; cum & olim ea homines vixisse narrentur, & hac etiamnum tempestate à plurimis comedantur.

Mirabilis est plurimorum in hac arbore & pudendus error, qui credunt *Fagum* Latinorum eandem esse cum *Phago* Græcorum: quem ego in claua *Herculana*, quam alij ex oleastro, alij è phago fecerunt, latè discussi.

FALKEN. Memini id ex te audire. Sed quando necdum nobis ea quæ de *Herculis* claua scripsisti, communicare dignaris; optarem & meo & *Flemingi* nomine, vt hunc nobis scrupulum, quem iniiecisti, eximeres.

GOROP. Faciam, sed tribus verbis: id quæ eo lubentius, vt te, *Fleminge*, incitem ad omne glandis genus conferendum; ad quod hæc tua *Wynninghemica* ditio amplissima

plissimas patia, citra prætorum & aruorum iacturam; sponte sua videtur offerre; & ipsa glandis etymologia te permouete debet, vt hac parte telluri placere nitaris. *Theodorus Gaza* proximè accessit ad veritatem: sed nescio quid factum sit, vt in hæsitatione permanserit, & Latinum *fagi* nomen pro phago Græcorum vsurparit; in quem lapsum, nominum conuenientia virum alioqui diligentissimum pertraxit. Verùm *Plinius* eum monere debebat, qui clarissima descriptione demonstrauit, quàm arbor ea quam Latini *fagum* dicunt, à Græcorum phago distet. Deinde mirum; non animaduertisse *Plinium*; in roborum generibus enumerandis, *fagi* nomen nusquam posuisse; cum tamen in iis phagus Græcorum esset; pro qua quod nomen Latinum posuerit, vno solo indicio constare potest, quod quernam glandem omnium dulcissimam fecerit, quam laudem phago *Theophrastus* adscripserat: ex quo quis non videt, quercum positam pro Græcorum phago? Verùm & illud antiorauit, quercum masculam & feminam se agnoscere, & hanc quidem glandis suauitate esse mare superiorem; è quo fieret, vt *Hemeris* quercus mas esset, & phagus quercus femina. Rustici Neapolitani hæcenus hoc quercuum discrimen agnoscunt, & nominibus suis distinguunt; masculam quidem quercum, feminam verò quercum gentilem siue nobilem, propter glandis dulcedinem, vocantes. Non video itaque, qua se ratione *Gaza* queat excusare, quod tanta temeritate in vertendo vsus sit, vt Latinum *fagi* nomen ad quercum feminam applicarit, arborem toto cælo dissidentem. Facillimè sanè hic *Plinius* sequi potuisset; præsertim cum ostendat, in *fagi* arboris historia se ambiguum fuisse. Scio nec *Plinium*, nec *Theophrastum* satis constanter in roborum distinctione versatum; vt in meis aduersariis habeo annotatum: sed hoc peccatum maius est in *Theodoro*; quàm ferri possit. Quid enim stultius, quàm hominem Græcum, in Latino sermone; vocabulo Latino in ea significatione vt, quam nemo mortalium vquam ne per somnium quidem cogitasset: nec id solum magna cum perturbatione rerum committere; sed alterum rursus culpam addere turpiorem? Quis est tam obescæ naris, vt si ea quæ de *Oxea* *Theophrastus* scripsit, cum phago Latinorum conferat; non statim odoretur, *fagum* Latinorum & *Oxeam* Græcorum eandem arborem esse, longissimo interuallo à quercu distantem? At huic *Oxæ* nouum nomen finxit, quasi vox Latinis vsurpata defuisset. Quid, rogo, clarius *Theophrasti* descriptione, qua arbos erecta, lenis, enodis, crassitudine & altitudine ferè æqualis abieti, nec cetera dissimilis depingitur; cui glandeus fructus echinato calyce contentus, & folium bifidum à pediculo in aculeatum mucronem desinens adiecta, quid vltra dubitationis reliquerunt? Quid quoddam candidam quoque materiam adiecit, & eam ad multa vtilem; quod ita phago Latinorum conuenit, vt nihil magis possit. Verus *Strabonis* interpretes pro *Oxea* reddidit *fago* feissimam, nescio vnde mutuatus scissimæ adiectionem. Scio nihil esse quod in tenuiores asserculos scindatur, adeo vt vaginarum quoque corium iis fulciatur: sed quæ gens inde nomen dederit, necdum legi. *Xanthus Lydus*, & *Menecrates Elaita*, auctores sunt, hanc arborem apud *Lydos* *Myson* vocari; atque inde iis *Phrygibus* qui ad *Olym-pum* sibi sedes posuerunt, *Mysonum* nomen esse; quoniam totus hic mons fagorum siluis abundat. Quod si ab arboribus aut siluis gentes essent nominandæ, *Brussellenses* maximè *fagi* appellationem mererentur, in quorum suburbano agro silua exordium sumit fagorum vmbra obscurissima, qua nihil æstiuis mēsisibus amœnius potest cogitari. Porro nihil miror, *fagum* *Myson* vocari; cum *Mys-soet* nihil aliud *Phrygum* lingua significet, quàm muritū suauitatē, & verisimilius sit, *Phryges* sibi ipsos dedisse nomenclaturam, quàm à *Lydis* acceptam vsurpassse. Verùm siue *Myfi* à *fagis*, siue à *Mysis* Europæis, quod probabilius est, siue vtraque gens à muribus nomen acceperint, nostra nō refert. hoc interrim obiter notandum, mures maiorē in modum fagorum glandibus delectari, atque inde esse; vt ad earum maturitatem maior sit huius animalis proventus; atque inde fortassis occasione datam, vt *populus* ad fagorum siluam sedes figens, *Mufos* se nominarint: & arborem etiam *Musi*. *Mus-soet*, id est, murium oblectamentū fuerit dicta. Verum enim verò, vt phagus Græcorum & *fagus* Latinorum tantum naturæ proprietatibus distent, quantum quercus & *fagus* apud Latinos, vt ex *Theophrasto* cuius est perspicuum, notas saltem *Oxæ* & *Phagi* ex ipso conferenti: hoc tamen commune habent, quod Latini *fagum* suam, perinde atque *phagus* Græcorum Iouis consecratam.

Theodori Gaze error in fagi nomine pro phago.

Fagus Latinorum, phagus Græcorum non est.

Mysis. i. fagus.
Mysis populi.

Musi.
Mus-soet.
Fagus Latinorum perinde atque phagus Græcorum Iouis consecratam.
oi μίον

Oi μὲν ἀρ' ἀντιθέον σαρπηδόνα διοὶ ἐταίρει
Εἶσεν ὑπ' ἀργόχοιο δίδε περιπαλλεὶ φηγῶ.

Cuius hæc ferè est sententia:

Diuini socij similem Sarpedona diuis
Sub Iouis Aegiochi quercu posuere perampla.

Quid quòd Iouis Dodonæi silua è phago Græcorum, siue quercu, constiterit: & prima columba è Thebis Ægyptiis aduolans, in phago confederit, & ex ea oracula humana voce edidisse dicatur; quam arborem in Herodoti Euterpe Laurentius Valla nomine Fagi malè interpretatus est. Apud Latinos eundem honorem Fago tributum, vt Ioui quoque, æquè atque quercus, sacra esset, Iupiter Fagutalis, à luco Fageo dictus, satis ostendit: cuius rei eam causam esse putò, quòd glandis suauitate nulla ratione possit phago Græcorum postponi; atque idcirco Ioui hominibus alimenta citra laborem danti, haud minore iure, quàm hanc, fuisse dedicatam. Hinc illud Virgilij intelligitur:

Tityre tu patula recubans sub tegmine fagi.

Quo nihil aliud significatur, quàm Virgilium sub Augusti patrocínio vitam ducere suauem & otiosam, tamquam sub Iouis umbra diuinitus haberet, quæ victui necessaria essent. Nos & alias causas adferemus in Gallicis, si quando edentur, ob quas quercus apud Druides & apud Dodonæos in tanto fuerit honore: minimè tamè admissuri, quòd vulgò creditum, Druides à Græco roboris nomine nuncupatos fuisse, verum ab eo, quòd & ipsi veram sapientiam sequerentur, & aliis veritatem demonstrarent; quòd proprium est officium sacerdotum & pontificum, modò quales dicuntur, tales esse laborent. Hic satis esto, vobis indicasse, poetam Latinum Fago suæ ea tribuisse, non minore causa, quæ Homerus Phago Græcorum. Nec ego quicquam certius mihi persuadeo, quàm ipsum primo statim Bucolicorum versu ad Homeri Sarpedonem alluisse; cui hac ratione similis erat, quòd & poetæ esset, qui diis similes habentur, atque Iouis filij, non secus atque Musæ dicuntur; & quòd lethale rerum suarum vulnus, haud fecus ac Sarpedon, accepisset, non ab hasta, sed à pertica ei simillima, qua militibus agri diuidebantur. Hinc illud in Diris cecinit, si modò illius carmen est:

Pertica quæ nostros metata est impia agellos.

Eadem pertica Propertij pater vulneratus fuit, de qua filius:

Nam tua cum multi versarent rura iuueni,

Absulit excultas pertica tristis opes.

Quemadmodum igitur diuini socij Sarpedonem sub fago collocarunt, & ibi hastam, quæ femori fixa erat à Tlepolemo, extraxerunt: ita diuini focij, Alphenus Varus, Asinius Pollio, Cornelius Gallus, Virgilium pertica læsum sub fago Iouis, id est, sub tutela Augusti collocarunt, & perticam extraxerunt. Deinde accessit & illud, quòd domi suæ fagum quandam sacram haberet, quam in Diris suis alloquitur, sub qua tum demum est collocatus, cum in agrorum possessionem restitutus esset. Hanc ab eo Battarum à Bassaro Baccho nuncupatam fuisse credo; & quia sub ea sæpius potarit, & quia non minus Latinorum Fagus, quàm Græcorum glande sua vinum commendat, de qua quercus dote Eustathius veteres citauit. Magna itaque de causa, & elegantissima allusione ad Tlepolemi hastam sub amplissima quercu de Sarpedonis femore extractam, principium carminum suorum fecit, miro quodam modo similitudine congruente; & quia à Tlepolemo, id est, ab iis qui bella ferre cogunt, vulnus esset inflatum; & quia Virgilius Sarpedon esset, quasi ἀρπηδόων, id est, voluptatis raptor, veluti Epicureus: Sic enim nomen æolico more formatum dico; non verò, vt etymologicon, ab harpe, id est, falce; quoniam Iupiter cum voluptate quadam rapta generarit. Reliquia de Battarofago, & phago Homericæ, de pertica & hasta, de socijs Sarpedonis & Virgilij, vtrumque diuinis, se ipsa demonstrant, vel inuitis, magnam habere consonantiam. Sint igitur hæc pro tempore dicta de Fago Latinorum & Græcorum; quarum vtraque ceteris dulcem glandem facit: Galeno soli hæc etiam ad finem vsque videtur acerba. Nec Hispanorum experientia Galeno consentit in Illice; quo sit, vt suspicer, nomina quidem eadem apud diuersas gentes esse, sed arboribus diuersis tribui, nec ipsos auctores, qui describunt, valde in montibus & siluis versatos, nec regionum diuersarum oculos fuisse spectatores. Hinc factum, vt Theophrastus aliorum potus, quos

Fagutalis Iupiter.

Druides unde dicti.

Sarpedon pertica læsus, sub fago Iouis collocatur à focijs eius. Pertica, hasta similes, qua militibus agri diuidebantur.

Virgilius Sarpedoni comparatus.

Battarus fagus.

Sarpedon unde dictus.

quos consuluerat, opiniones recitet, quàm ex iis aliquid certi constituat. Granum certe ilici arbori tribuit; cum id non in arbore, sed frutice simili nascatur, ilice pumila siue nana potius vocanda.

Sed dum aliorum incuriam diligentia nostra volumus excitare, eius obliuiscimur, quòd hic maximè agendum; vt nimirum de priscis Latinorum Græcorumque vocabulis vera primæ antiquitatis cognitio pariatur. Vnde igitur Phagus dicitur? Eustathius & ceteri à φῆγω, quòd licet inusitatum, comedo significat; quòd homines olim glandibus his se sustinuerunt. Sed quid hoc ad Latinos? demus tamen à Græcis nomen eos mutuari, quòd alij quidem arbori, sed cuius fructus non minus edulis sit, accommodarint. Quæro modò, vnde φῆγω? Hic etymologiæ scriptores, ni fallor, tacebunt. Plato ad Barbaros amandabit curiosos. Nos φῆγ / siue fæg / siue deg, syllaba longa, vel pro eo dicimus quòd est liberaliter Genio indulgere; vel pro eo quòd est, omnes sordes, omnes defectus, omnia vitia à re quapiam tollere. Huius vocis conuersio φῆγ / dum nomen est, finem significat ipsius secundi significatus, videlicet id quòd purum est & sine omni vitio. Quoniam verò id fieri humana ope non potest, vt homines integri sint & puri: voluit vocum architectus, vt eadem voce notaretur id quòd omnes ei dicere debemus, quem non possumus suo nomine vocare. φῆγ enim vt verbum idem est quòd Da: & idem etiam quòd Do. Oremus igitur Deum hoc verbo φῆγ. Quid verò daret? Nempe quòd eadem voce significatur, vt integri, puri, & sine omni vitio simus; quòd solus Deus dare potest. φῆγ igitur & puritatem notat; & vnà notat integritatem non esse nostrarum virium, sed purum putum donum. Cuius donum? Eius haud dubiè qui dat omnia. Iam quia corpus integrum esse non potest, nec idoneum instrumentum ad quicquam perficiendum, nisi hilariter nutriatur: factum est, vt deg non solum signet mundo, expedit, & integrum reddo; sed hoc etiam quòd ad illa est necessarium, ipsam nimirum virium recreationem; quam non solum talem esse oportet, vt corpus reficiat, sed vt animum etiam à curis & molestiis liberet, & ab omnibus purget laboribus tristitiam cogitationum: quòd dum facimus, edendo & bibendo; per vestigia vocis hanc virium refectioem cum animi recreatione signantis, in eam ducimur considerationem, totum hoc quòd nos alit, reficit, & integros reddit ad quæuis potest expedienda, non esse nostrum, sed purum donum: & ob eam causam orandum Deum, vt det nobis, vt suam & corpus, & animus habeat integritatem. Dum igitur fæg verè dico, id est, corpus & animum reficio, & in integrum restituo; recurrendum est à vocis fine ad eius principium, vt dicam φῆγ, id est, da; quòd quid aliud est, quàm panem nostrum crastinum da nobis hodie, ne corpore, nunc refecto, animus sollicitus maneat de crastino; atque ita non verè dicere possit, fæg, id est, corpus & animum molestiis omnibus & defectu purgo; manente nimirum adhuc sollicitudine de crastino, de quo ne Deus quidem nos sollicitos esse voluit. Ego hæc de Hermathena, non de Euangelio duco; quòd nec hic, nec alibi, de alterius, quàm de Ecclesiæ sententia velim interpretari: tametsi sciam D. Hieronymum in Euangelio secundum Hebræos inuenisse loco dictionis ἐπιούσιον ἄρτον, id est, crastinum, atque ita pro ἀπὸν τῆς ἐπιούσιης, id est, panem crastinæ diei, factam esse vnicam dictionem ἐπιούσιον, pro crastinum, vt sit sensus: panem nostrum crastinum, id est, futurum, da nobis hodie; ex ipsius Hieronymi in Matthæum verbis. Plenissima igitur mysteriorum vox est fæg, quam Græcis litteris φῆγ, siue per Æolicum digamma φῆγ, scriberemus, ad sonum vocalis longæ exprimendum. Quia verò qui sic & animo & corpore refectus est, & integritati suæ restitutus, expeditus est ad quiduis promptè perficiendum, nullo nec corporis defectu, nec animi dolore demorante: factum est vt fæger is à nobis dicatur qui ad quoduis cum alacritate quadam expediendum est idoneus. φῆγ igitur non solum est comedo; sed integrè vires reficio cibo, & potu, & animi quadam hilaritate: cui mox tria sunt annexa. Vnum, vt id fiat non ad corpus & animum onerandum, quòd non pauci faciunt; sed ad vtrumque ab omni molestia repurgandum, quo homo integer & ab omni defectu liberatus opus suum aggredi possit. Alterum, vt & agnoscamus Dei donum virium refectioem esse, & simul oremus, ne donum hoc in futurum nobis desit; idque faciamus ea fiducia, vt semper daturum persuasum habeamus. Tertium accedit, quòd præcipuum est, & caput omnium; vt quoties cibum & potum hilariter

Phagus unde dicitur.

φῆγω.

φῆγ.

deg.

φῆγ.

Donum Dei, corporis & animi integritas. Corporis refectio.

Panem nostrum crastinum da nobis hodie, &c.

fæger sine fæger.

Cibum & potum quibus rationibus sumi debent.

capimus, donum Dei esse agnoscimus, & ut dare pergat, orantes cum firma fide, nos voto nostro potituros; toties primæ significationis in mentem veniat, ut Deus nos eo etiam cibo & potu reficiat, quo perennem puritatem & integritatem consequamur. Sunt itaque mirabili vinculo $\Phi\eta\gamma$ & $\Gamma\eta\epsilon$ colligata. Quo considerato, non modò agnoscuntur nostratis esse linguæ, sed admirandam nobis offerunt contemplationem, qua ut nihil est in vita magis necessarium, ita vix toto volumine pro dignitate posset explicari. Ut enim nihil aliud esset quàm diligens ipsorum $\Phi\eta\gamma$ & $\Gamma\eta\epsilon$ collatio, ea tantum tenuis, qua illud mundo, purgo, & perficio notat, hoc idem quod Do: mox tamen in mentem veniret, nos puros esse non posse, nisi per singulare donum. Deinde ipsum illud donum tale esse, ut perfectos nos reddat & omnibus numeris absolutos. Ex quo confestim subit, à perfecto & omnibus modis puro donum hoc petendum; qui quis alius est, quàm ipse pater luminis totum mundum lustrantis, à quo omne donum perfectum proficisci sacris litteris docemur. Solius igitur illius gratia imploranda, qui solus nos perfecte ab omni macula, ab omni defectu mundare potest, & per conuiuium corporis & sanguinis sui, refectos ad mensam æternæ felicitatis, & perennium deliciarum deportare. Cùm enim $\Phi\eta\gamma$ non solum mundo notet, sed ad refectionem etiam corporis & animi transierit: consequi videtur, cibum aliquem & potum inueniri, quo ab omni defectu integre & absolute purgari queamus. At talis esse nullus potest, nisi & ipse purissimus sit, & incorruptibilis, & eam præterea viam habens, ut à maximo defectu, qui mors est, nos liberet: cùm alioqui id quod $\Gamma\eta\epsilon$ primò significat, esse nequeamus. Prior enim huius voculæ notio est id quod omni modo integrum est, & omni macula & defectu carens. Hoc autem quia nisi per donum omnium perfectissimum contingere non potest; voluit rerum omnium nomenclator, ut $\Gamma\eta\epsilon$ etiam pro dono poneretur: quo moneremur prius illud citra donationem mortalibus contingere non posse. Sed satis horum feruidis vestris animis; tepidis verò & frigidis plus etiam quàm nimium esset. Ab eiusmodi enim principio statim explosus cum noua hac & inaudita philosophia fuisset, tamquam is qui tenues nugæ à tenui vularum filo suspenderem & connecterem: quos ego contra rogassem, ut ex altissimo ditissimoque vel Græcorum vel Latinorum penu quicquam depromerent, quod vel minima ex parte his minimis dictiunculis de compositionis artificio queat comparari, quòd ternario numero omnis perfectionis ideam metiente ita litteras collocavit, ut per eas eunti & redeunti vestigia indicent, quibus humanæ salutis summa comprehendatur. Dicerent fortasse: Quis hæc antè vidit aut consideravit? Quis? Ipse vocum architectus vel vidit, vel Spiritus sancti ductu ita voces fecit, ut hæc inde ab acutè considerantibus colligi possent. quod si nemo hæc fecit, tanto plus ego Genio meo debeo, qui mihi in Cimneriis tenebris versanti ea nunc demum reuelauit. Si hoc artificium & hanc componendarum vocum viam in vno, aut altero, aut tertio dumtaxat inuenissem; casui poteram, non consilio, rem totam acceptam ferre: verùm eùm in tanta nominum copia & diuersitate eadem ratio seruetur; impudentis sit & hominis à cõmuni sensu alieni, dicere, hæc casu, non consilio sic composita fuisse. Videant igitur nunc Græci, quibus suum $\Phi\eta\gamma$ debeant: & id vnà videant, ut verbi significationem mutilent, dum eam ad solum cibum, non etiam potum referant, origine tamen vtrumque complexa. Verùm quare prius arborem nominarunt à $\Phi\eta\gamma$ si hæc vox non cibum tantum, sed potum etiam signet, quem arbor non supeditat? Videntur sanè veteres vtrumque genus arboris, & eius quæ in roborum genere glandem fert suauissimam, & eius quæ triquetram glandem sibi peculiarem producit, $\Phi\eta\gamma$ nomine comprehendisse: verùm potest apud Græcos alteri, alteri apud Latinos nomenclaturam remansisse. Ratio verò harum arborum sic vocandarum in eo tota fuit, ut symbolum præ se ferrent, omnem nobis corporis & animi refectionem à Ioue siue summo Deo, proficisci, non aliter, atque suaues glandes cuius citra laborem, citra cultum, citra curam, in siluis offeruntur, desuper ex arbore, velut è caelo, delapsæ. Quamuis enim & ad alias arbores eadem ratio applicari posse videatur; non tamen tanta vis esset significationis; eo quòd ceteræ omnes, quamuis in siluis antè citra cultum creuerint, ad pomaria tamen postea sint translata: ita ut in his homines aliquid sibi adscribere possent, quod in illis omnino nequeunt; quandoquidem semper

Donum omne perfectum à Deo perfecto proficiscitur.

semper siluestres & incultæ permanserint, soli Ioui omnem suam debentes suauitatem. Nomen itaque non de arborum tantum natura, quam communem habent cum malis; sed de symbolica etiam ratione datum, quæ his peculiaris est ad ea significanda, quæ & hominem solide suauiterque nutrire possunt, & citra ipsius curam adiumentumque de caelo conferuntur; uti in vocis $\Phi\eta\gamma$ significatu satis explicatum. Fateri interim cogor, multò copiosius significantiusque nomen hoc Phago Græcorum, quàm Latinorum conuenire; propterea quòd plura quercus, quàm fagus Italarum, diuinitus dare cernatur: quod Theophrastus satis ostendit, qui præter ceteras dotes hanc etiam adscribat, quòd foliis eius melleus humor caelo cadens maximè soleat insidere; cui vel soli satis subest rationis, ut caelestis alimenti tesseram quercui veteres voluerint tributam. Nomen igitur $\Phi\eta\gamma$ symbolicon etiam est ex eo datum, quòd hæc arbor anagogicòs considerata veritatem monstrat. nec dissimili de causa Saronis, quo nomine Callimachus vsus est, nuncupata: quia in ea ipse rerum omnium fator habitare videretur, ita diuersis beneficiis ab eo est dorata. Latini totum genus Robur vocarunt, propter validam nimirum, quam hoc arborum genus supeditat, materiam. quæ vox licet in magna cuiusvis rei firmitate signanda prorsus Latina videatur: $\Phi\eta\gamma$ enim natalibus tamen nostratibus genus debet; compositum vocabulum ex prolo & verso, significat ipsius rudis perfectionem; quæ quid aliud est, quàm valida materia, per se rudis, firmitas & constantia? Corporis igitur proprie est, uti rudis & imperfecti, nisi firmitas daret perfectionem. Hinc bene Columella, quod primum exile natum est, negat robur accipere posse: quia nimirum rudis materia desit, quæ hanc perfectionem capiat. Cùm igitur de animo dicitur, à prima significatione transfertur. Est autem V dictionis medium, in B mutatum, ob euphoniã, ut ex $\Phi\eta\gamma$ Robur fieret. Quercus Latinum item nomen est, sed non minus quàm Robur à Cimneriis, siue Ianigenis Romanorum antiquissimis maioribus relicto: quod si ad originem suam vocetur, magnum secum trahet antiquitatis comitatum; cuius gratia lubentius, quicquid eius est, enucleabo. $\Phi\eta\gamma$ idem esse quod defendo, & vos scitis, & ego modò dixi. Quamuis autem in B duplex nostrum digamma non rarò mutetur; est tamen ubi in Qu transeat, ea fortè ratione, quod ante V consonantem, Latini non aliam consonantem, quàm Q, præponere consueverint; & idcirco altero V seruat, prius in Q voluerint mutare. Cimbræ dicunt pro Quis vel Qui, & Wan pro Quando: in quibus clarum est, duplicem hanc consonantem nobis peculiarem in Qu transisse; quod frequenter obseruaretur, si Latini multas voces à Qu exordiri voluissent. Apud Græcos non est hæc quærenda litterarum affinitas; eo quòd Q penitus ex suo Alphabeto excluderint. Apud Hebræos hæc duplicis digamma in Quo f transmigratione à me non semel est animaduersa: cuius certissimum exemplum in ipso eo vocabulo, quo certissimum & nobis, & Hebræis, & Chaldæis significatur, adducam. Nos enim $\Phi\eta\gamma$ id dicimus, quod pro certissimo & indubitato affirmamus: quod nemo non audit, cùm dicitur, $\Phi\eta\gamma$ $\Phi\eta\gamma$: quod Latini dicerent, est verissimum. Hinc $\Phi\eta\gamma$ ipsa veritatis certitudo. Hebræi dicunt pro eodem $\Phi\eta\gamma$, in quo clarum, duplex digamma nostras in Quo f permutatum esse. Hac voce vsus est Nabuchodonosor, Danieli somnium interpretato asserens, Deum Hebræorum in veritate certissima Deum deorum esse. Apud Hebræos $\Phi\eta\gamma$ est idem quod Latinis fleo siue ploro: pro eodem nos dicimus $\Phi\eta\gamma$, vnde $\Phi\eta\gamma$. $\Phi\eta\gamma$ Latinis ploratus & fletus. Eodem modo quod Hebræi $\Phi\eta\gamma$ dicunt pro expecto, id nos $\Phi\eta\gamma$ pronuntiamus. Nec aliter pro $\Phi\eta\gamma$ id est, sanctificare & consecrare, nos $\Phi\eta\gamma$ dicimus. Eadem omnino litterarum permutatione Latini Quercus nomen reseruarunt, quod in prima radice est $\Phi\eta\gamma$ -rou/id est, defendo siue prohibeo frigus. Hæc enim præcipua quercuum est utilitas, ut ex ea casas & domos aduersus frigus moliamur; & ipsos etiam muros & parua uimenta, ne nos frigore lædant, hac materia tegamus: Tum etiam, ut ignem ex ea, contra frigora hiberna, accendamus, qui ex nulla alia arbore corporibus humanis est salubrior. Nec ignorauit hoc Theocritus apud quem est, $\Phi\eta\gamma$ $\Phi\eta\gamma$ $\Phi\eta\gamma$ $\Phi\eta\gamma$ $\Phi\eta\gamma$ $\Phi\eta\gamma$ $\Phi\eta\gamma$ $\Phi\eta\gamma$ $\Phi\eta\gamma$ $\Phi\eta\gamma$. Profecto nulla est arbor quæ vel in ædificiis, vel in foco, plus adferat adiumenti, ad homines à frigore tuendos. Adde, his

nihil esse præstantius ad algores depellendos, quam corpus habere valido alimento bene fartum, & succi plenum. At hoc itidem quercus præstat, solidam porcorum carnem hibernis mensibus subministrans; è qua, si experimentis, rationi, & Galeno credimus, plurimum sanguinis & validi nutrimenti humanis membris accrescit; quo subsidio nescio an aliud sit præsentius & firmitus aduersus rigidas frigoris iniurias. Circumspicite mentibus vestris latos vastosque siluarum recessus, ascendite montes, niuosa Alpium cacumina superate, quicquid denique vsquam arborum est, expendite, Harwennam asperam, immensas Herciniorum saltuum lacinias, totum Aquilonem gratissimum Hamadryadum domicilium penetrare, & diligenter vbique attendite, ecqua materia queat inueniri, quæ quercui in frigore multis variisque modis depellendo sit præferenda. Laborate, & disquirite; ego, si coram æquo iudice causa sit quercui contra alias arbores dicenda, lubenter me vel vadem vel sponsores præstabo. Gaudet igitur hæc arbor hac sua nomenclatura Latinorum, non minus quam nominibus faustissimis Græcorum; quorum alterum ab edendo, alterum à placida indole datum arbitrantur. Et hæc quidem de quercu: cuius si laudes sigillatim essent enarrandæ, alio & oratore & tempore opus esset: quamquam scio apud Flemingum frustra multis agendum, qui non solum copia quercetorum abundat; sed quotidie etiam, & in suo, & in Scetorum palatiis cernit, tum quàm vasta tabulorum spatia, quàmque partim arcis grauibus, & copiosa supellestiliæ, partim aliis oneribus quibus emporia distenduntur, ponderosa sustineat, ne ad latum quidem pilum cedens; tum quàm magnos & candida saluberrimæque flama splendidos ignes in focus perpetuò lucentibus subministrat. Nunc igitur ad ea quæ dixi comitatura ex vltima Romanorum antiquitate, sese hinc obtrudentia, quo & ipsa tandem à situ ignorantia, quibus hæcenus miserè incanuerunt, liberentur atque detergantur.

AVDIO querelam Quirini mecum expostulantis, quid circumspicitis? aures arrigite, vt & vos mecum audiatis: Quid tu, Goropi, in surdis arboribus labores perdis? quid potius quercus natales, quàm meos, explicas? Num verò hæc tibi dignior videtur, cui gratias de beneficiis, quæ commemorasti, agas, quàm ego Quirinus, qui nomine meo polliceor non solum me frigoris, sed omnium eorum quæ vitæ humanæ vel insidiantur vel vim adferunt, paratum promptumque defensorum? Sint sanè Dryades quercuum numina, habeant & ea suos honores, sed sic habeant, vt agnoscant meas esse famulas sese & ancillas, nec alterius iussu quàm meo in arborum se præsidio stare. Age igitur tandem & me Romanis meis ostende, doceque quàm longè alius sum, quàm vel historiæ scriptores, vel Grammatici cogitarint; & vna opera ipsi & beneficia mea, & domicilium, in quo habito, demonstra: ne vagis potius mentibus à cultu meo aberrare pergant, quàm veros mihi & debitos exhibeant honores. Auditif-ne quid hinc intonet? Iouem dices, ita procliue putat è Nymphis facere sibi ministras & ancillas. Imperat ille quidem auctoritate, vt videtur, magna: sed vellem Numæ libros, quos Romani superstitionis quàm religionis amantiores extulserunt, nobis in lucem profferret, vt ex iis depromere possim, quid de Quirini numine esset sentiendum. Obediamus tamen, quia sic iubet: Singulis regnis Dei ministros præfectos esse, vt ea tueantur & custodiant, nemo nescit eorum qui sacras literas perlegerunt: cuius rei indicium feci in Atuaticis, de monasterij sancto Michaëli nuncupati initiis tractans. Non est igitur dubitandum, quia Ianus, & Gomer, & eorum posterum antiquissimi, eandem acceperint, & retinuerint, & ad nepotes propagarint religionem, vt nimirum firma fide ab omnibus crederetur, omnem regnorum & ciuitatum custodiam à Deo pendere, & ad eam angelis suis, quos habet infinitos, vti ministris, non quia ita opus ipsi sit, quasi non omnibus æquè præsens adsit, & omnia præfens gubernet; sed quo bonitatis suæ, ob quam omnia facit, fructus pluribus communicaret creaturis. Romanorum igitur Ogygij illi parentes, & veræ religionis necdum obliti, inter cetera sua vota illud præcipuum rati, quo Deum supplices orarent, vt Rempublicam conseruaret, atque ab omni aduersitate tueretur; nomen inuenerunt, quo hæc ipsorum supplicatio notaretur, & quod primum quidem ipsi Deo, deinde eius ministris, quos huius potestatis faceret participes, conueniret.

Cum

Dryades
quercuum
numina.

Angeli, Dei
ministri, præ
fecti sunt sin
gulis regnis,
ciuitatibus,
&c.

Quirinus
vnde dicitur.

Cum enim Werin idem sit quod defendere, atque modò demonstrarim, duplex Cimbrorum digamma in Qu transire, nihil amplius obstare potest, quo minus confiteri oporteat, Quirini nomen à defensione Ianigenas dedisse; & primum quidem, quàm diu verus sermo retineretur, Werinum; deinde, eo corrupto, Quirinum dictum fuisse. Postem equidem altius hic mentem attollere, & penitus veram patrum religionem intueri, nisi curiositatis crimen formidarem. Dicerem enim à Wer & Ein nomen compositum esse, & ante Itolorum irruptionem Wereren pronuntiatum fuisse, quod significat defensionis vnum; siue vnus defendens: vt eadem vox simul & defensionem diuinitus esse petendam indicaret, & eam non à pluribus, sed ab ipso vno esse petendam, clarè deceineret. Quirinus itaque hac ratione non aliud esset, quàm ipse Deus, ea ratione à nobis consideratus, quæ ab ipso rerum nostrarum petimus defensionem. Deienim nullum nomen est proprium, sed totæ nomina homines fingunt, quot habent votorum piarumque contemplationum diuersitates. Quamobrem qui hanc Deo nomenclaturam tribuerunt, ea ipsa sese monuerunt & excitarunt, omnem defensionem in vnus Dei consistere potestate, & frustra arma & vigiles esse, nisi Deus ipse, qui vnus est, ciuitatem & sigillatim & vniuersim ab omni periculo custodiat, atque idcirco hunc vnum orandum esse, vt præsentis suo numine nos nostraque omnia tueatur. Huic, vt in cælis habitanti, nullum sanum nec Numæ, nec ipsius maiores dedicarunt: Huic, vt cuius nulla similitudo fingi posset, nullam statuam, nullam imaginem habuerunt. Sola Vortomni statua omnes Dei personas, omnes potestates, omnia mortalium vota symbolicos indicabat; ex qua re illud est quod de se dicit:

Arma tuli quondam, & memini, laudabar in illis.

Quorsum enim arma ipsi felicitatis omni promotori, nisi vt defendat ciuitatem? quod dum facit, Quirini nomen meretur, quia Quirini gerit personam: haud secus atque Faunus, Bacchus, Phœbus, & quiduis aliud esse potest, si mortales ea promoueri cupiant, quibus potestates his nominibus indicatæ præsidere creduntur. Quid multis? Hæc, & id genus alia quamplurima, ad rituum, cærimoniarum, & semel, ad totius religionis intelligentiam spectantia, Numæ libris perscripta fuisse existimo: quibus cum impia Deorum multitudo tolleretur, & omnis Romana superstitio concideret; maluerunt boni, scilicet viri, deos in maiestate sua manere, quàm è Numæ sepulchro ipsam tandem emergere veritatem, omnium fallacium numinum potentissimam victricem. Quid igitur remedij, libris nunc inuentis, & mox in multa exemplaria distrahendis? Quid? Funestæ potius faces iniiciantur, quàm tota templa, tot deorum simulacra, tot sacrorum ordinum collegia diuinos suos perdant honores. Proscribatur ieiuna & strigosa veritas, retineatur pinguis & dapilis superstitio, largissima non numinum modò plurimorum cultrix, sed immensæ etiam multitudinis otiosæ magnifica opsonatrix. Inspicite nunc quis primum fuerit Quirinus, & quarum in hominum societate partium præses. Videre mox quo postea errore in nescio quod falsum numen transiuerit, illius haud dubiè fraude, qui sedem suam in nescio quod falsum numen transiuerit, illius haud dubiè fraude, qui sedem suam in Septentrione, vt similis esset altissimo; quique omnem honorem vni Deo exhibendum, insidiis & machinationibus mendaciorum fraudulentissimis ad se diuertere semper & vbique molitur. Huic impostori, cuius maximus inter vras nomina diuina ad idolomaniam accommodare, eo maxime tempore, quo iam intelligi desissent.

Ianigenarum enim regio agrorum fertilitate, & portuum plurimorum copia, & ceterarum rerum omnium felicitate, quamplurimos mox ab initio hostes inuitauit; quorum multitudine & frequentia Cimbrum tandem coacti sunt, vt agrorum parte cedentes, vnà eum exteris habitarent; sat modò ducentes, si non prorsus extruderentur. qua diuersarum gentium irruptione tandem eò res euasit, vt minimam partem veteres & primi coloni retinerent; nec agros tantum amitterent, sed ipsam etiam antiquissimam linguam, mistione plurimarum, quibus diuersi noui incolæ vterentur, corruperent, & ferè abolerent. Quamobrem ne quando posterum in eam opinionem venirent, hanc diuersarum linguarum farraginem primum Ianigenarum sermonem fuisse, totam regionem, quàm latè pateret, Witaliam vocauerunt, id est, regionem externi sermonis.

H h 3

Wit

Werin.

Wer.

Dei nullum
nomen est
proprium, sed
ei homines
nomina in-
gunt.

Quirini no-
mencatura
vni vero Deo
data.

Vortomni sta-
tua omnes
Dei perso-
nas, omnes
potestates,
indicit.

Numa libri
à Romanis,
hostibus veræ
religionis, ex-
ulsi.

Quirini di-
uinum nomen
ad idoloma-
niam accom-
modatum frau-
de & impa-
stura dracon-
is.

Ianigenarum
regio & lin-
gua.

Cimbrum coacti
habitare cum
exteris, non
agros tan-
tum amisse-
runt, sed etiam
linguam suam
antiquissimam
corruperunt.

Wit sine wt. Wit enim per diphthongum nostratam ex W vocali & I constata, externum significat. Wit autem idem est quod lingua siue sermo, ita ut Wit-tal nihil aliud sit, quam lingua externa & peregrina. Hinc igitur Witalia à Cimbris dicta, ut perpetuò cogitarent de lingua prima & antiquissima in sacris maximè retinenda, ne quando ea neglecta & obsoleta, in profundam totius verè religionis à Nocho siue Saturno acceptæ venirent obliuionem. Neque enim parui refert vocabulorum, quibus in sacris Pontifices vtuntur, vni cognitam habere, ad rectam religionis viam tenendam, quod cum primi Ægyptiorum rituum magistri viderent, fabula quadam, de Æge inducitur sacerdotibus, monuerunt, ut si quando vocem quampiam non intelligerent, Phrygios consulerent, vel saltem eos, in quorum sermone vernaculo panis *Wit* vocaretur. Quis item audiens regionem quampiam ab eo dici, quod homines in ea externo sermone vtantur, non euestigio interroget, si peregrino sermone vtantur, quis eorum vernaculus sit, siue patrius? Quanto igitur magis Cimbrorum posterum, apud quos & parentum series, & exterarum gentium irruptio adhuc non penitus in tenebras sese abdiderat, permoueri debebant ad vetustam suam & primam linguam in arcanis suis retinendam, dum totam regionem exterorum sermone vt ipsa regionis nomenclatura moneretur. Clarissima certe nota fuit hæc regionis appellatio ad memoriam prius lingue sempiternam, si modò tantillum luminis in Pontificum collegio reliquum fuisset, quo huius nominis ratio cerneretur. Verum rebus paulatim in peius labentibus, & veteris disciplina monumentis indices magis atque magis neglectis, quod in iis nihil esset vel ad honores, vel ad rem augendam præsidij, non tantum lingua vetus, sed litteræ etiam quadam, & earum figuræ, quibus exterorum sermo non utebatur, exoleuerunt. Hinc dum forte quispiam in veterem aliquam inscriptionem incidisset, in qua prisca notis Witalia nomen positum esset, bis lapsus est in legendo, semel, quod figuram duplicem vocalis nesciret perinde apud veteres pro V longo siue magno, atque *omega* apud Græcos in vtu esse; iterum, quod dum alteram figuræ partem, velut superuacaneam, reiecerat, crediderat eam, quæ remanerat, notam esse consonantis, non vocalis; atque idcirco legendum putarit Vitaliam, consonante vocem incipiente. Hinc credibile est eum, quisquis fuerit, diu hæsitasse, nec satis conicere potuisse, vnde regio primum fuerit Vitalia nominata. Quid hic in mentem alij veniret, non refert; illi saltem suspicio suborta videtur, Vitaliam à vitulis nomen accepisse, propterea quod eos haberet præstantissimos. Atque huius quidem opinio per manus ad posteros venit, sed ratio ob quam ea primum nata fuisset, tradita est obliuioni. ex eo errore alius mox pullulauit apud illos, qui acceperant Italiam à vitulorum præstantia dictam, citra vetustissimam illius scripturæ mentionem. Hi enim causam querentes, ob quam Italia, non Vitalia, diceretur, si à Vitulis nomen haberet, eò sunt redacti, ut dicerent, veteres non vitulos, sed Italos dixisse, & V post accepisse, nescio quo Æolico more. Hinc apud Festum legimus, Italiam dictam esse, quod magnos Italos, hoc est, boues habeat: Vitulos enim Italos esse dictos. Alij, in quibus est Halicarnassus, Antiochum Syracusanum Siculas quasdam Arethuse autias vendentem secutus, Italum nescio quem sibi comminiscuntur, obuiò prorsus & vtitato ignorantia prætextu, de regionis nomine fabricati conditorem. Huic Italo cum Antiochus Morgetem filium dedisset, Berosus Annianus sub larua Babylonica Witerbona mendaciorum scruta protrudens, filiam insignem adiecit, nomine Romam, indignam certe, quam Antiphani Siculi filius præteriret. Demior sanè quare non & Circen, & Caietan, & Cumam, & Vetuloniam suam Romæ fecerit forores, quo tanto Itali propaginem faceret illustriorem. Hellenicus veterem illum errorem de litteris prisca malè lectis profectum à nescio quo acceperat, & vnà causam ab Hercule suspensam, infinita nugarum monstra vbique gentium relinquentem. Huius enim iuuenicum, qui ab armento & Geryonis regnis abacto aberrans per totam Aufoniam in Siciliam vsque penetrarit, regioni nomen dedisse scribit. Cum enim vbique de iuuenico suo Hercules rogaret, atque illi semper sua lingua vitulum se vidisse dicerent, magnanimus Iouis filius vnus vituli per maxima terrarum spatia inquisitor, & laboris in vestigando, & molestia in vituli nomine toties audiendo pertæsus, totam regionem, quam querendo peragravit, Vitaliam nuncupavit, quod nomen post in Italiam degeneravit. Sed missis ceteris, quæ ex Herculanæ nugarum officina depromuntur, hoc nobis ex Hellenico tenemus,

neamus, vntum illud esse quod Festus dixit, Italos quondam dici solere, qui post vituli fuerint nominati, cuius contrarium prorsus ab illo affirmari videmus. Quam verò diuersæ gentes Italiam olim inuaserint, cum alij scriptores, tum Dionysius Halicarnassensis satis copiosè descripsit: de cuius lectione quis est qui non facile sibi persuadeat, admirabilem quandam linguarum confusionem necessariò exortam fuisse, ita ut non immeritò primi habitatores totam patriam suam, regionem externi peregriniquè sermonis vocarint, ne postero sui vnquam obliuiscerentur, aliam parentum vetustissimorum linguam fuisse. Vix puto operæ pretium, ut id vos moneam, quod modò satis indicavi, nobis V vocalè elementum æquè duplex esse, atque V consonans, & ex vtroque & simplici & duplici fieri diphthongum, adiecta I vocali, eodem modo quo apud Græcos diphthongus est ex o micro & iota, & rursus ex *omega* magno & iota. Witalen igitur externi sermonis homines vocantur, ipso W duplicis sono multo magis quam iota sonante. Posteriores breuitatis & suavis modulationis vbique curiosi, è tribus syllabis duas fecerunt, duplicè W vocali in duplex W consonans permutato, & sono ipsius iota, qui in varietate duplicis elementi permixti ferè latitabat, neglecto; quæ ratione pro Witalen dicimus Witalen, quo nomine hætenus omnes externos vocamus; quos si integra veterum voce nominaremus, facilius ab omnibus intelligeremur. Paucos enim inuenias, qui sciant, quid propriè hac voce Witalen sit intelligendum, dum quisque, quos proximos habet externi sermonis homines, ea designet. Allemannus quidem Italos, inferior Germanus Gallos, Anglus eos, qui montosam Britannia chersonesum Hibernia oppositam tenent, quos si prima voce Witalos vocarent, nemo esset Germanici sermonis peritus, qui non mox intelligeret, externæ linguæ homines designari: quam intelligentiam è nomine acciso non ita promptè consequitur, & haud scio, an quisquam hætenus fuerit, qui nominis rationem sit assecutus. Ex Witalia igitur, siue alia scribendi forma, Witalia, quæ & antiqua est, & digamma dedit Æolicum, ut hic à me in puluere videtis depingi, primum exstitit Vitalia, altero ductu, ut superfluo, relicto: quod nomen ita scriptum per consonantem enuntiarunt, diphthongi vi penitus ignari. Hinc procliuè fuit, in eam venire opinionem, Vitaliam à Vitulis dictam fuisse, quo dato, alius aliam causam quæruit, sed eius quod non erat, frustra, cur esset, ratio vestigabatur: à nemine tamen turpius erratum, quam ab iis qui Festo auctores fuerunt, ut vitulos olim Italos vocatos fuisse diceret, cum id sit falsissimum. Vitulus enim à Vitula dicitur, quæ per hypocorismum, qualis in osculo est, suavis & iucunda vita notatur, quo nomine & Dea lætæ vitæ præfida nominatur: vnde vitulor pro gaudeo. Et meritò quidem vitæ iucunditas & læticia diminuenste vocabulo signatur, eo quod nihil in vita magis exiguum sit, quam ipsa suauitas & gaudium: deinde, quod hæc ipsa dulcedo parvulis in tenella adhuc ætate constitutis dum taxat contingat: quæ res cum nusquam magis cerni queat, quam in teneris iuuenicis, placuit nominum factori, ut hi à vitula vituli dicerentur. & quo omnibus modis læticia breuitas indicaretur, vocalem, quæ in vita longa est, in hac voce raptim pronuntiare oportet. Bene igitur Hyllus vitulam læticia deam vocauit: sed malè Titius vitulari dixit idem esse quod voce lætari: nec multo melius Varro, qui vitulari idem voluit esse quod *παιωνίζω*, quod longè abest à vera vocis ratione, cum multi vitulentur citra pæanis cantionem, & in primis ipsi vituli, meliores, quam ipsi grammatici, interpretes, quid propriè sit vitulari; multi etiam pæana canant citra læticiam, velut illi, qui pretio ad laudes diuinis conducuntur. In vetustis sacris Pontificum vitulatio nihil aliud erat, quam chorea, & cantus, & totius corporis gestus læticiam exprimens: qua de re quid sentiam, in Curetum saltatione fortassis ostendam. Cum itaque falsum sit planissimè, vitulos quondam Italos dictos fuisse, & palàm sit, monstruosum & longissimè remorum ab omni sani hominis cogitatione, Herculem quempiam per totam Italia longitudinem iuuenicum errabundum vestigasse, tametsi magnæ Pali & pastoris ab Amphryso placet, heri sui abigei vitabundus, ut in ipsam etiam Siciliam tranare mallet, quam ad armentum suum redire, non puto mihi amplius in eo laborandum, ut hos refutem. Ex his tamen hoc accipi emolumentum, ut facilius vobis probatum iri sperem, antiquissimam aliquam apud veteres opinionem inualuisse, Vitaliam quondam, non Italiam, dici solere: quandoquidem non sit probabile, citra magnam aliquam & luculentam occasionem, hanc vetustissimam famam apud eruditos homines ex-

nes exitisse, tametsi ea in Cimneris tenebris, id est, in veris Romanorum originibus iam olim esset sepulta; numquam fortassis in lucem reditura, nisi ego manus porrexissem. Discant igitur Romani, se externa lingua uti, etiam tum, cum se Latina Cicero nis eloquentia iactant; nec alia ratione se Italos vocari, quam ut aliquando tandem pri- cæ & primogeniæ Ianigenarum linguæ de nomine suo monerentur.

CETERVM si quis eorum hunc sermonem meum audiret; num putatis eum se contenturum à conuiciis? an non multos linguæ meæ cancos, an non ceteras diras quas in ipsorum ore, quàm in meo, esse malo, imprecaturum?

FALKEN. Vix ipse me contineo, quin ipsorum partes suscipiam contra te propugnandas; & facerem certè, quoad eius possem, nisi veterer, ne molestia mea te compellerem ad silentium; quod ego seruare malo, quàm id genus antiquitates non audire. Huius tamen veniam dabis, si obiter te interrogem, qui factum sit, ut ceteris boni ominis nomina data dicas; Italis solis illud tribuas, de quo peregrinitatis conuincantur; nec vniquam tantisper dum hoc nomen agnoscent, in sua ipsorum patria ciues possint haberi; quod non vni iuris nostri titulo, sed quam plurimis repugnat, si accuratè ea quæ inde consequerentur, essent examinanda.

GOROP. Ego ad forum tuum & litium perplexitates, quibus miseros clientes, tamquam retibus tenetis inuolutos, ex mea hac libertatis arce, in qua me hodie Flemingus constituit, descendere nolo; quarum ego non minus sum vitabundus, quàm vitulus ille Herculis omnes omnium opes expilantis. Verùm ut tibi ulterius necum iure vestro experiendi occasionem præcidam, vtrumque negabo, & quòd hoc nomen ipsi Itali sibi dederint, & quòd malum habeat omen: Neque enim Itali sese Italos vocarunt, non magis sanè, quàm Wali in Anglia se Walos, sed à Cimneris & ceteris Ianigenis hanc acceperunt appellationem; quia reuera peregrino sermone loquerentur. Verùm cum vndique tanta exterarum nationum colluies irumperet, ut iam exterorum potius regio, quàm Cimneriorum esse videretur, ipsique Ianigenæ paulatim etiam peregrino sermone suum corrumpent, atque ea ratione sese etiam aliena lingua uti fatei cogentur; non potuere diutius resistere, quin & ipsi in idem nomen, quod exteris dederant, transirent, atque ita tota regio Italia diceretur; quamquam, ut modò dixi, id eo lubentius susceperint, ut posteros suos monerent, aliam primorum in Italia parentum suorum linguam fuisse. Quamobrem ut darem infaustum nomen esse, nihil inde tamen absurdi contra me effici posset; propterea quòd alterius generis sint nomina ab hostibus aut à parum amicis data; alterius ea quæ ipsæ sibi gentes bonis auspiciis imponere solent, aut bene de rebus suis futuris ominantes, aut rem quampiam commemoratu dignam ipso nomine posteris proponentes reuoluentem. Verùm nolo hac uti declinatione; cum recta via procedens negem, quicquam inauspicatum hoc nomine designari, immo dicam, diuinitus accidisse, ut toti regioni illi commune fieret, quæ omnium exterarum linguarum caput erat futura, ipsumque adèdò nomen hoc portendisse.

*Italia omnium
exterarum lin-
guarum ca-
put.*

Quid ni dicam eam regionem Italiam, quæ ius dicit pluri- bus infinito exteris, quàm intra sinum suum educatis, quæque plurimarum varij ser- monis gentium vnam facit ciuitatem, non legibus modò ciuilibus eisdem constitutam, sed vinculo etiam veræ perennisque religionis omnes cuiusuis linguæ nationes in vno capite colligantem. Diligenter hic inspicite, & totis mentis viribus inspicite, quàm latè hæc ratio, quam hic breuiter indico, sese extendat; & in primis hanc solam regionem tam grandem, tam fertilem, tot vrbibus insignem, tot portibus & classibus nobilem, tot victoriis toti orbi formidabilem, ipsam denique omnium terrarum reginam solam & vnicam à tot seculorum intervallo inueniri, quæ vniuersam Italia, id est, externi ser- monis regio nominetur. Quid? num huic soli vel conditores, vel aliæ insignes notæ domesticæ defuerunt, à quibus nominaretur? Atqui Ianus Saturni filius, sicut Ianiculo, ita toti nomen relinquere potuisset, multo certè nobilius, ut prima fronte videretur futurum, quàm si ab exteris gentibus nomen emendicasse potius quàm accepisse videretur. Iam Cimneriorum pater, Iani filius maximus natu, num indignus fuit, à quo regio vel Goimeria vel Cimneria diceretur? Profectò genus vniuersum de se potius nominare debuisset, quàm exiguum illum Campaniæ angulum, in quo Homeri tem- pore Cimneriorum in hac regione nomen dumtaxat reliquum fuisse, de scriptis ipsius videtur.

videtur. Quid dicemus de Saturno huius auo, illius patre, qui post in hanc regionem cum Oenotriis suis venit, & eam partem accepit possidendam, in qua diuinitus intel- ligebat promissionem suam Iano factam impletum iri. Quæ, rogo, causa tanta esse potuit, ut Saturni nomen, omnium mortalium post diluuium patris, regio non tenuerit; cum semel eo fuerit nuncupata? Num potuit quicquam generosius, quicquam excellentius, quicquam melioris ominis inueniri, ipso omnium hominum parente, cui à singulari prærogatiua, qua Deus ipsum honorauit, diuinum Saturni nomen Ianus ne- potisque indiderunt? Num quicquam erat, præ quo hoc prænitendum videretur? Omitto Aufoniæ appellationem, à maximo Iani filiorum acceptam. Nec commemo- ro Oenotriorum nomen, à quo tota regio aliquantisper fuit vocata; hominum certè perpetuò ipsi Saturno in omni necessitate fidissimorum, utpote qui assidui ipsi in om- nibus itineribus terra marique comites fuissent, quod suo ipsi nomine præ se ferebant, tamquam id, de quo in summo apud omnes honore haberi mererentur. Non quæro, inquam, cur alia nomina semel apud omnes recepta, fuerint deleta, & in animorum tabellis perenni litura inducæ. hoc quæro, quamobrem Saturni nomen non potius sit retentum, quàm nouum illud à sermonis peregrinitate sumptum. Magnum sanè, immo maximum momentum in hoc latere puto rerum earum quæ maximè faciunt ad hominum salutem. Fateor, plurimum Saturno siue Nocho debere omnem posteritatem, & tantum debere, quantum ei, per quem semen, & vitales auras, & hu- ius luminis usum accepit. Verùm aliud est, quod non hanc modò præsentem vitam, sed futuram etiam spectat, in quo & huius vitæ lumen, & æternum futuræ vitæ lumen continetur. Hoc nobis Christus erat daturus, & à gente illa in qua ad ea usque tem- pora vera religio permansisset, ad externos translaturus. Ad quos verò externos? ad om- nes quidem, quotquot in toto orbe essent; sed præcipuè tamen ad illos, quibus ab ex- terna lingua iam olim nomen maneret: sub quorum imperio ob eam potissimum causam nasci voluit, ut verus Dei cultus non amplius apud Hebræos solos maneret, sed ad illos transiret, quorum regio omnes diuersorum sermonum homines vna ciui- tate & vno iure contineret; quo per illos facilius in vniuersum orbem felicia diuini ver- bi dona possent & feri & propagari. Nam statim ab initio primi Christianæ scholæ hy- podidascali, & felices principis magistri discipuli, tum cum variis linguis loquerentur, palam ostenderunt, Christum velle doctrinam suam ad omnes, quamuis diuersi ser- monis, homines pertinere; & idcirco nasci voluisse, dum penes eos orbis terrarum gu- bernaculum esset, qui à sermonis peregrinitate nomenclaturam iam olim haberent. Ab his item & exteris, & ab externo sermone nomen ferentibus, voluit Deus verus Iudæorum & regnum & templum euerti, & totam religionem nouæ & æternæ legis ab vna lingua ad omnes commigrare; quo omnes æquè salutis verbum caperent, & in- telligerent, & vterius propagarent. Non mirum igitur, in Italia præcipuam & prima- riam religionis nostræ sedem esse collocatam, & hæcenus inconcussam & firmam ma- nere; tametsi ab ipsis Imperatoribus principio crudelissimè fuerit oppugnata, & tan- dem omnium Barbarorum insultibus ab ipsis Imperatoribus prodita, & prorsus deser- ta. Verùm quando pro dignitate hoc argumentum vires meas longissimè superans tra- ctare non possum; vos rogo, ut quod à me silentio premitur, id tacita cogitatione ite- rum atque iterum reuoluatis; ut tandem, quæ modò dumtaxat indico, plus in recessu, quàm in aperto habere, nouisse possitis.

NON dicam nunc, quid illa ara maxima, sub aperto cælo ab Euandro Herculi de- dicata, portenderit: quod si explicarem, totius religionis nostræ typus palam ob oculos poneretur. Intelligeretis in Euandri nomine non illud modò, quod Græcis significat, sed aliud quiddam diuinius ad aui spectans mutationem contineri; quæ tum esset fu- tura, cum in maxima ara crucis ipse Hercules se immolaret, atque eo ipsa victima Ca- cum occideret, & huius sui sacrificij in ipsa hac vrbe non solum perpetuam memo- riam, sed primariam etiam collocaret, eo iam tandem absoluto, quod tot antè seculis Euandri & Carmentæ matris nomen, & ara maxima Herculi ob Cacus occisum con- secrata, indicabat. Absit ut hæc sint fabulæ Græcicæ, aut ab Arcadibus, eo modo quo vulgus putat, profectæ. Ianigenarum sunt monumenta & mysteria, & ni fallor, ipsius Nochi, qui hos rerum futurarum typos diuino instinctu eo loco reliquerit, in quo

Saturnia.

*Aufonia.
Oenotria.
Oenotrii.*

*Christiana
religio ad I-
talos externos
transfata, &
primaria eius
sedes in Italia
collocata.*

Herculis ara.

Euander.

*Hercules
Christus &c.*

quo fore præsentificeret summam mutationis seculorum dignitatem. Verum hæc erant ad Romanas origines differenda.

FLEMING. Hoc modò nostra non refert, quid in illis sis acturus, & multa alioquin inter calicem supremaque labra. Vellem interea dum vnà sumus, & in Herculis & Euandri incidisti mentionem, paullo clarius, quid hac fabula significari putes, exponeres. Nam non sum tanto mentis stupore depressus, vt quæ de Hercule, & Caco, Carmenta, & Euandro feruntur, ea ad historiam credam pertinere; tamen poetæ insanam Græcorum vanitatem secuti, eiusmodi Ogenia figmenta ad res gestas transferre nitantur; quod vt in illis nullam professis veritatem tolerari potest, ita prorsus est in historia scriptoribus pudendum, ne dicam despuendum. Fabuletur Virgilius de Æneæ cum Euandro colloquio, de Pallante eius filio, deque ceteris, quibus carmina sua ornauit: at id longè abest, vt fidem mihi faciat vel in minimo horum, non hercle magis, quàm in iis, quibus Sibyllæ de Christo vaticinium ad nescio quem Pollionis filium detorsit, tam effronte & abominanda adulatione, vt ne vna quidem oraculorum littera in eum quadraret; cui ea obtorto collo applicare conabatur.

GOROP. Laudo te, Fleming, de hac tua sententia; & me in eandem iam olim concessisse, opinor de Cronis meis satis intellexisse, in quibus Erigones fabulam obiter attigi, quam idem poetæ Augusto suo accommodauit. Hoc interim stupenda prorsus Dei prouidentia factum esse video, vt dum aliud præstantissimus hic poetæ agit, illa prodar æternæ posterorum memoriæ, quæ de Christo firmissima, clarissima, & quibus nihil opponi queat testimonia complectuntur. Quicquid Lactantius, quicquid Eusebius, quicquid ceteri patres ex Sibyllæ carminibus ad religionem nostram in hominum animis exstruendam & roborandam attulerunt, id Athei pro nugamentis & confictis probationibus habuissent, nisi Virgilius Cumanum illud carmen omnibus communificasset. Eodem modo nemo aræ maximæ originem, nemo Caci & Herculis pugnam, nemo Carmentam & Euandrum satis clarè cognouisset, nisi hæc omnia suauissimus poetæ carminibus suis celebrasset. Miscuit ille quidem sua; sed hoc interim præstitit, vt corpus saltem ipsius fabulæ adhuc integrum queat videri. Quis enim Cacus, nisi Carui id est, stabuli pernicius. An non hic statim, si cum Satyris aures in cælum arrigamus, Cacodæmonem humani stabuli pestem audimus? Hic enim est, qui in tenebris habitans trophæum posuit in barathri sui faucibus miserorum hominum, quos fraude sua occiderat.

Cacus.
Ca.
Cui.

*Foribusque affixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.*

Hercules
Christus, Ca-
cum, id est,
Cacodæmo-
nem viuit
clausa, id est,
cruce &c.

Quis verò Hercules, Iouis è mortali matre filius, omnia monstra claua sua domans, & semper leonis exuuias indurus? Quis alius, quàm vt nomine præfertur, macula vis mundi, verbum patris æterni, de mortali femina humanam carnem assumens, de quo dictum est, *Vicit leo de tribu Iuda*. Quem vicit? Cacus, qui homines, veluti pecora, retrorsum in antrum suum fumo & igne infernali æstuans assiduo trahebat, *semperque recenti Cade sepebat humus*. At quibus armis vsus hoc monstrum superauit? Non alia arma Herculi tribuuntur, quàm ingens claua, qua omnia totius orbis monstra domuit, & ipsum etiam tartarum perripit. Quis hic non crucem videt, omnium malorum, quæ humano generi à Caco inflicta sunt, victricem? Miror profectò vnde Virgilio suboleuerit, priorem syllabam in Cacos producendam esse; cum ea in voce Cacos Græcorum, quo malus significatur, corripi consueuerit. Vnde id acceperit nescio; hoc scio, nostratibus vocalem longam in ea esse, atque idcirco longam pronuntiar. Iam de Euandro aliud dicere non possum, quàm id, quod me sentire cogit Cimbrica vocis interpretatio. Est tamen hoc obseruatione non indignum & Græcis & nobis, hoc vocabulum significationem suam habere, & eam talem, vt in eandem rem cadat. Cimbris seculi mutatorem notat, Græcis visilem siue præstantem virum. Hæc igitur vox primùm Dei filio humanam carnem induto & mortali iam factò tribuenda, deinde ei, qui typum Christi venturi apud præcos gessit. Is autem fuit Nochus, vir bonus, & Deo placens, per quem humanum genus in diluuiò seruatum est, quique mundi secula maiorem in modum immutauit, carnes hominibus & vinum præbens, vt de legibus interim, quarum mutatio præcipuè spectatur, nihil dicam. Hic igitur vti Christi veri

Euander vn-
de dicitur.

Euander
Christum &
Nochum de-
signat.

sti veri & maximi seculorum permutatoris typus, filius fuit non hominis, sed gratiæ diuinæ iustitiam in ipso operantis, per quam Deo carus fuit, quæ Carmenta ob id vocatur, quòd id, quod omnibus carissimum esse debet, adducat. Fingitur item Mercurio patre natus, quoniam Deus voluntatem suam per Nochum publicè interpretatus est, omnibus exitum prædicens, nisi à scedis sceleribus abstinerent. Hic igitur Herculem venturum præuidens, & ea sacra facturum, quæ omnium essent maxima, & quorum collatione cetera sacra nihil essent, vel si quid essent, simulacrum dumtaxat quoddam maximorum præferrent; tum vaticinium Herculis & Caci fabula inuoluit, tum aram maximam Christo venturo erexit, ad quam gratiæ de Caco humani generis hoste interimendo agerentur; sic tamen omnibus verbis compositis, vt non futura, sed præterita significari viderentur, de more nimirum & consuetudine prophetarum familiari, quo tam certa & firma eorum quæ dicuntur, veritas indicetur, quàm si modò perfecta essent. Deinde quo significaretur, non alium vel aram maximam, vel sacrificium, quo mortalium genus à Caco liberaretur, facere posse, quàm ipsum Christum: bene habet, quod dicatur hæc ara maxima ab ipso Hercule constituta. Hinc Virgilius:

*Hanc aram Iuoco statuit, quæ maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.*

Vt igitur Nochus quadam tenuis seculum mutauit, ita Christus verè mutauit, omnem veterem legem abolens, & mortiferum draconis venenum diluuiò sanguinis sui sumergens, & eo ipso totum mundum purgans, qua ratione meritò Euander dicitur non solum Cimbrico, sed etiam Græco sermone. Quæcumque igitur de Euandro prodita sunt, de Nocho, vt typo veri Euandri, intelligenda; in quo quia multæ & ingentes diuinæ gratiæ dotes eluxerunt, multa quoque & diuersa nomina locum suum inueniunt. Admirandum est, quòd hoc etiam firma fide apud Pontifices fuerit creditum, aram hanc semper maximam futuram, quo videtur non solum Christi sacerdotium maximum & æternum signari, sed hoc etiam addi, maximam hanc aram Romæ semper futuram. Quæ de Potitiis & Pinariis feruntur, ex Cimbrica etiam lingua apertam habent significationem, quorum illi nouæ legis homines, & Dominici corporis epulones; hi omnes eos qui ante Christi mortem fuere, designant. Sed de his plus satis & ex tempore, & extra propositum; cum hæc magis seriam curam, & latioremsciant interpretationem; ad quam spero mihi aliquando datum iri maiorem opportunitatem.

Potitij.
Pinarij.

Nimis longè à quercu peregrinati sumus; & nescio quæ à Quirino ad Italos, ab Italis ad Euandrum sit peruentum. Mirum ni hæc quercus vnà sit ex Dodonæis; adèd me reddidit loquacem. Quid, boni viri, num hoc est Propertij Vortomnum interpretari?

*Amphora cepit
Institui, currente rota cur vrceus exit?*

Quòd si tam prodigiosam varietatem in hanc commentatiunculam adferre pergam, næ verè ego pro Vortomni interprete Vortomnus siam Propertianus.

FLEMING. O religiosum congeronem! Id scilicet nos curamus, quænam ea quæ hic inter confabulandum dicuntur, inter se cohæreant. Apage cum hac superstitione. Quis legem colloquio nostro scripsit? An fortassis tibi rem cum Galeno tuo esse putas, homine nihil præter methodos vbique inculcante, quas dum subinde maximè iactat, pro methodo sua odiosissimum Asiaticum longis discursuum ambagibus, veluti Ariadnes filium sequens, inuoluit. Si librum scriberes, hæc te cura intra certos limites coercere posset: interim dum nobiscum fabularis, eam tibi optimam viam & rationem loquendi puta, quam nobis vides quàm maximè placere.

GOROP. Tu de ceteris, vt voles, de Galeno bona verba quæso. Nam nisi hic studiis meis sumptum suppeditasset, iam nec Propertius, nec Virgilius in museo meo inueniretur. Sed quando ita placet, pergam garrere securus quòd pes ferat. Memini modò me abreptum à quercu ad Quirini interpretationem, cuius nomen non intellectum, vt pleraque cetera, magnam dixi inuexisse idolomaniam, idque ea de causa facilius, quòd tota Italia ab exteris ferè occupata veterem linguam partim perdidit, partim corruerit, & peregrinis vocibus contaminari: atque hac occasione ad Italarum nomen di-

men digressus, videor mihi cum Italis pauld longius ad externa diuertisse; quod Quirinus verus ipsorum, nec minus noster, patronus non agrè feret; quandoquidem sic aberro, ne præter casam, neque præter ipsius sacra.

Quiris hasta. Fuerunt qui Quirinum ab hasta dictum putarent, quæ Sabinorum lingua Quiris fuerit vocata, teste Varrone: quod si ita sit, nomen inde hasta acceperit, quod arma defendentia rumpat, quasi *Wier-rjt*. *Wier* generatim nobis omnia arma significat; qua de causa, vt dubia locutio vitaretur, *Cur-rust* & adempto Tau, *Curus* dicitur armatura, qua induimur ad defensionem, à *Cur* quod fit à *Queer* pro *Wier* & *rust* id est instruo siue armo. Hinc *Volturnus* panopliam notat, siue ea arma, quæ nullam corporis partem nudam relinquunt; qua cum equites vtuntur, *Curritera* vocantur. Sabinos enim nostra lingua vsos esse ne miremur, Zenodotus Træzenius facit, qui eos scribit Vmbros esse, à Pelasgis patriis sedibus eiectos. At Vmbros Cimmerios fuisse, principid dixi.

Sabina herba. *Sabinus Dem.* Qua verò de causa Sabinos se vocarint, Porcius Cato aperuit, à Sabo patrio ipsorum Deo Sabinum nescio quem natum aiens, qui toti genti dederit nomen. Ego aliter video suadere Cimbricam linguam, quod inde veri similis cuius reddetur, quod Sabina etiam frutex dicatur, nisi fortasse fruticem etiam à Sabo, perinde atque filium, nominatum esse contendat; quod hætenus neminem video tentasse. Deinde Virgilius nemini veterum non antefendus in curiosa antiquitatum inquisitione, Sabinum vocauit, indicans Sabum & Sabinum eundem deum esse. Et hæc quidem à veteribus de Sabinis. Sed dum causam nominis ad Deum referunt, nemo est qui addat quamobrem Deus ipse ita sit vocatus; quasi eius nomenclatura vel minimo sit euidentior. Nos ex Virgilio & herba Sabina coniecturam ducentes, credimus inter cetera Nochi apud Cimmerios cognomen hoc etiam vnum fuisse, quorū causis ignoratis, tot postea Dij emerferunt in hominum opinione, quot diuersarum Dei gratiarum nomina reperuntur vel cuiquam olim mortalium concessarum, vel quotidie à miseris & afflictis, quales ad vnum omnes sumus, orandarum: ex quo crasso & lupino errorum feminario omnis supersticio, omnis religionis veræ corruptela, omnis idolomania emanauit. Primum igitur poeta vitifratorem Sabinum nominat, de qua nota quem quisquam sanus intelligendum putaret, quàm Nochum, qui in Italiam ad Ianum filium suum omnium gentium confessione dicitur nauigasse. Hunc Virgilius de diuerso nomine diuersum à Saturno existimauit, ex eodem fonte, vnde ceteri, errorem suum hauriens. Sicut autem à singulari gratia mortalium feminis conseruati Saturni nomen accepit; ita Sabinus quoque meruit dici, quia omnibus mortalibus ceteris præstantior fuisset in causa prima, siue deo sibi alligando, quod Sabinus nomine ad vnguem notatur, à quo, vt in compositione fieri consuevit, postrema littera prioris in compositione partis est sublata. Argumentum huic assertioni meæ herba Sabina clarissimum adfert, ea de causa hoc nomen sortita, quod sacris thuris loco soleat adhiberi, præsertim à primis illis patribus, qui intelligebant Deum sumptuosa sacrificia & Arabicos odores non pluris facere, quàm tenuem & frugalem cultum è proximis locis facilem paratu. Huc spectat illud Ouidij ex primo Fastorum libro:

Antè Deos homini quod conciliare valeret

Far erat, & puri lucida mica salis.

Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas

Acta per æquoreas hospita nauis aquas.

Thura nec Euphrates, nec miserat India costum,

Nec fuerant rubri cognita sula croci.

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,

Et non exiguo laurus adusta sono.

Sic & Propertius noster:

Flore sacella tege, verbenis compita velo,

Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

Adducerem plura testimonia, explicaremque qua de causa herba dicatur, cum frutex sit, & is non exiguus: qua in re mysterium laet diuinissimum, minimè vel Grammaticis vel poetis ipsis cognitum, tamen hi non ferè Sabinæ citra herbæ appendicem faciant mentionem: Sed video malorum pyrorumque, vicinarum vmbros fieri longiores, quàm

quàm vt sat temporis reliquo sermone meo superesse videatur. Necesse etiam est quædam relinqui vobis calcaria, quibus ad Romana mea legenda pungi queatis; in quibus non de Sabina modò, sed de Ara etiam, & de Græcorum Bomo, & Latinorum altari, & id genus aliis, copiosius agetur; quæ omnia ad eum locum pertinent, quo querendum est; quæ prima ara fuerit, & qua de causa Euander ex Arcadia in Italiam venisse dicatur, quod omnino veritati consentit; sed minimè pro eo atque doctissimi quique vel veterum vel recentiorum arbitrantur. Ab ipso ergo Nocho Sabinus nomen suum retinuerunt; quod illa omnium faustissima appellatio ipsis videretur, qua omnes Deo alligati deuinctique dicerentur. Crediderim principio homines quosdam diuinarum rerum studiosiores à turba in montes se proximos contulisse, qui interrogati, cur vitam solitariam sectarentur, quasi humanam societatem aspernati, potuerint forsitan respondere, cupere sese totos Deo deuincire, atque inde sumpsisse nomenclaturam. Certè cinctus Sabinus maximo indicio est, qualia fuerint in hac gente vitæ instituta: de quo suo loco plura. Siue autem Sabinum siue Sabum dicas, nihil est in re discriminis; nisi quod hoc compositum sit ex duobus nominibus; illud ex nomine & verbo.

Ex his liquet; non absurdè me facere, dum Quirini nomen de lingua Cimmericorum examino, & Quiritem ob id hastam vocatam dico, quod defendentia arma rumpat: inde ramen nomen Quirino minimè datum esse, verum à defendendo. Hinc efficitur, vt optimè illi senserint, qui eundem hunc Deum faciunt cum Enylio, quem Hesiodus eundem cum Marte, Sopocles diuersum opinatur. Arrianus Enyalium à Marte occisum narrat, & inde cognomen ad victoriæ monumentum retinuisse. Enyalium autem dictum aiunt ab Enyo belli dea, & hanc ab *Enyo* vel *Enyo*, id est, occido, Heracleon deduxit, argumento vsus, *Enyo* eundem esse quem *Enyo*: cui aduersatur Apollodoros, existimans hanc deam à clamore vehementi, qui in præliis edi solet, nuncupari; eo quod *Enyo* idem sit quod *Enyo*. Ab his in diuersa admodum abeunt, qui Iunonis Enyo epitheton esse volunt, ab *Enyo*, quod est perficio; quoniam Iuno, id est, temperies aëris, omnia perficiat & alat. Dionysius Halicarnassæus Enyalium belli quidem præsidem agnoscit, sed dubium esse ait, an duo nomina vni Marti dentur, an duobus nominibus duo dij intelligantur ambo belli curam gerentes. Ex hoc Enylio siue Quirino virgo quædam semine suscepto filium peperit Medium Fidium, quo loco Græcorum Halicarnassæi exemplar pessimè habet *Medius Fidius*. Vt autem plena sunt tenebrarum & discordiæ, quæ de Enylio suo Græci tradunt; ita non minus controuersæ apud Latinos de Fidio, quem alij Dios Fidium, pro Dios filium, id est, *Dios Fidius* accipiunt; ita vt dum Me Dios Fidius dicimus, censeamur dixisse, ita Me dius fidius amet; quemadmodum Me hercules, vsurpatur: quæ mihi sententia vt ceteroqui placet; ita in eo displicet, quod dius genitui casus hic esse velit, vt Festus videtur opinari; cum omnino rectum nomen sit, à quo Latine dicitur sub dio, quod Horatius interpretatur, sub Ioue frigido. Plautus in *Astinaria* Demænetum sic loqui faciens, *Per Deum Fidium qua queris iurato mihi*; me cogit suspicari, errasse omnes qui putant, quod Deus hic Medius Fidius vocetur. Marmoream tamen tabulam Romæ vidi, sed talem, vt facile se ostenderet barbari seculi esse, in qua vir & mulier sic erant ruditer excisi, vt dextras iungerent, & in medio puer adstaret litteris singulorum capitibus adscriptis, pueri quidem *SIMVLACRVM*, viri *HONOR*, mulieris *VERITAS*. Ex hac quisquam moueri possit, vt eorum opinioni accederet, qui Fidium Medium vocari volunt, quod medius sit inter duos: Ego tamen Plautum sequor, & Latine loquendi consuetudinem; & illud Festi de Fidio & filio sine discrimine antiquis dici consuetis, nihil prorsus ad hanc rem facere censo; præsertim cum ad Herculem nomen derorqueat, contra Dionysij & Varronis, vt videtur, sententiam, qui Fidium Quirini siue Enyalij filium habitum produnt, & ab hoc Cures de nomine patris & conditos esse & nominatos. Dios igitur Fidius nihil aliud est, quàm Iupiter Fidius, si Horatium illud, *sub Dio*, bene reddidisse; *sub Ioue*, fateamur: vnde & illi erroris conuincerentur, qui Diuum neutro genere pro aëre poni tradunt; cum haud aliter sub dio atque sub Ioue dicatur. Porcius Cato item hanc opinionem nostram confirmat, qui Sabum tradit Diuum Fidium, siue vt Halicarnassæus Græcè dixit, *Δια μέγαν* à Sabinis

binis dictum fuisse. Omnes tamen & Quirini & Enyalij conuenientia in tenebris micant: propterea quod nemo eorum causam intelligat, ob quam prisca libri memoria tradiderint, Quirinum Enyalium esse, & Diem Fidium filium Quirini. Quirinum vnum ipsum esse, quod ciuitates custodit & defendit, modò audiuitis. Enyal Cimbris, vnde Græci & Latini fecerunt Enyalium, significat ipsum vnum custodiens omnia; ne vno quidem litteræ apice mutato, sola adspiratione compositionis ratione è medio sublata. Enyo verò Tau perdidit, quo Græcorum haberet terminationem, longè aliud signans, quàm Græci crediderunt, vnum nimirum caput custodiae & defensionis. Et hæc optimè quidem prisca illi & Ogygij viri, & conuenientissimè iis quæ in sacris nostris litteris creberrimè repetuntur; non alium esse ciuitatum regnorumque custodem & protectorem, quàm vnum Deum solum, & non alium aut in cælis, aut in terris, aut in pace, aut in bello. Neque enim alius Deus est, qui hostes profligat, cædit, delet, & alius, qui suos tuetur, protegit & defendit. Hinc Melchisedec rex Salem, rex idem hominum magnusque sacerdos, Abræ diuinum epinicium canens, inter alia dicit, *Benedictus Abram Deo excelsio, qui creauit calum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Quod autem hic solus sit in cuius manu est custodia & clades, solus qui omnia regna vel conseruat vel perdit, Ezechias clarissima voce profitetur: *Domine, inquit, exercituum, Deus Israël, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ.* Quid verò dicit Deus de rege Assyriorum exitium Hierosolymis minitanti, & iam iam insuperabili exercitu omnia in cineres & sanguinem redacturo? Quid? *Non intrabit, inquit, ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In via, qua venit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Et protegam ciuitatem istam, ut saluem eam propter me, & propter David seruum meum.* Hæc Dominus, quibus mox additur: *Egressus autè est angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq. millia.* Videtis ne hic, boni viri, eundem Deum esse, qui ciuitatem Hierosolymitanam tuetur & protegit, & eundem, qui tam vastam in castris Assyriorum edit cladem, vt tot hominum myriades occisione occiderentur, nullo humano auxilio aut copiis hosti obiectis? Non igitur alius est Mars omnia confringens, cum ipsius omnipotenti voluntati visum est; & alius Quirinus urbem protegens, & ab omni vi & noxa custodiens, vt Seruius & multorum numinum fabri putauerunt: sed vnus est custodiens quæcumque vult salua, & in puluerem comminuens quæcumque vult perditã atque contractã. Quamobrem non sine diuino instinctu nomina illa sunt facta, quibus apertè significatur, vnum esse defenforem omnium, qui dum faciem suam & custodiam à nobis auertit, ex templo perimus, nullis viribus aliis sustinendi aut seruandi. Idem itaque Quirinus, quo significatur, in vno solo esse defensionem: & Enyalius, quo vnus dicitur custodire omnia: & Enyo, quæ vox nihil aliud significat, quàm vnum esse caput protegens & custodiens. Nec refert in feminino ne genere an in masculino nomina eiusmodi proferantur; cum in Deo nullus sit sexus, sed æquè & maribus & feminis se præbet custodem, iuxta illud Orphicum:

Iupiter & mas est & femina nescia mortis.

Nec aliud est Filius Dei, aliud verbum, aliud sapientia, aliud veritas, licet diuersis generibus enuntientur. Hinc modò licet æstimare, & iusta expendere frutina veterum scriptorum de Enyalio & Enyo sententias; quarum nulla vera est in nominum ratione danda; hoc vno recipiendæ omnes, quod fateantur his vocibus significari potestatem quandam diuinam bellis præfidentem, illo rursus reiiciendæ, quod statuant aliud ab hac esse numen quod vrbibus præsit tuendis.

Nec malè est à quibusdam obseruatum, Enyo Iunonis esse cognomentum; sed id malè additum, eius rei rationem ex illo aptam esse, quod Iuno æris sit temperamentum. Modò ex Ezechia audiuius, *Tu es Deus solus omnium regnorum terræ;* quod poëta siue Orphici significare volentes, Iunonem dicunt; qua voce Cimbrici intelligunt fauoris caput, quod nihil aliud est, quàm solo fauore diuino, nullis viribus humanis, regna conferri atque seruari. Num igitur mirum, Iunonem vocari Enyo, id est, vnicum & solum custodiae caput? An aliunde quàm à fauore diuino, & à solo omnis fauoris capite tutela omnium non regnorum modò & ciuitatum, sed singulorum etiam homi-

Enyalium vnde dicitur. En sine En. En sine En. Enyo vnde dicitur. En. En. Enyo. Deus vnus & solus ciuitatum & regnorum custos arg. protector, hostes profugus &c.

Enyo Iuno.

Iuno vnde dicitur.

hominum pendet? Animaduertitis ne hæc, vt apud veteres scriptores scintillæ adhuc quædam sub multa fauilla occultentur, è quibus diligenter obseruatis ne exstinguantur, non parum adhuc luminis possit excitari ad prisca Ianigenarum religionem peruidendam. Verùm hæc ab Italis, vtpote primi maiorum sermonis ignaris frustra quærantur; apud quos aded nihil sani vel de Marte, vel de Enyalio, vel de Enyo, est cogitatum: vt cum vbique à veritate & religione longissimè aberrarint, tum nusquam ferè ab ea fuerint quàm in Enyo remotiores; quandoquidem eam putarint demente furore, & insaniam plusquàm cyclopica delectari; & idcirco eam vulneribus corpori suo sponte inflictis colendam existimarint.

O fallacem vbique draconem, humani generis hostem; & nusquam magis fallacem, quàm in optimis de religione opinionibus corrupendis, & sanctissimis nominibus ad furorem suum pertrahendis! Quid veritati congruentius, quid magis pium; quid hominum conseruationi aptius, quid ad Reipublicæ salutem magis necessarium, quàm persuasum habere, in vno solo Deo omnem tutelam sitam esse, atque eum, vt omnis custodiae caput, inuocare? Quid contra magis impium, quàm maiorum instituta tam diuina ad illas dæmoniicas transferri furias, quibus draconis tabum homines exagitabat, non in aliorum tantum cædem, sed in suam etiam ipsorum carnem foedis plagis lacerandam. Quod tamen vt procliuus lubricis in malignum hominum animis persuaderetur; pro Enyo inuidus serpens Bellonæ nomè, quasi non aliud hoc, quàm illo notaretur, in Romanorum vsum venire curauit: quo vt nulla custodiae, nulla vnus notio continetur; ita non aliud, quàm feritas, violentia, & crudelitas designatur: cum Bellum Latinorum à Æl prisca Cimbrorum voce, qua id signatur, quod ipsi Æl/ Bellum. id est, vitæ, repugnat, deriuetur: à qua Æalg pro irascor, & Æalg pro pugno: vnde Belgæ pugnacissimi Gallorum populi nomen acceperunt. Satius tamen est, tam diro nomine exitialem humani generis pestem vocare, quàm eam diuina Enyus vel Enyalij vel Quirini appellatione dignari. Sed abeat Bellona ad Tartarum, sedem & sibi & suis clientibus ab æterno destinatam: nos in veri Enyalij tutela & custodia perpetuò maneamus.

PORRÒ Dius Fidius non malè ortus dicitur è Quirino; eo quod nulla fides inter homines constare possit, citra vnum omnia custodiens, & homines vnies. Hoc ipso enim pax & fides constat, quod homines ab ipso vno in vnanimi consensu ad omnia vitæ officia cum decoro, iuxta Themidis normam, obeunda custodiantur. Vnus enim & solus Deus fidem humanæ societatis vinculum & gignit & conseruat: quod illi indicarunt qui Fidium Enyalij siue Quirini filium fecerunt. Nolo altius huius fabulæ siue allegoriæ mysterium examinare; ne nimium videar prisca illis tribuere veritatis. Alioqui dicerem, non communem modò inter homines fidem hæc designari; sed illam etiam quam Deus per Spiritum sanctum nobis largitur, quæ vera pax est Quirini Christianorum. Immodè & excelsus quisquam rapi queat, & eam ex Festo Pompeio haurire suspicionem, non alium esse Herculem & Diem Fidium. Fingunt enim Sabinus, Fidium suum natum esse è Quirino & virgine: quod si ad aliquam velis veritatis regulam applicare; non video, quod melius sit referendum, quàm ad eum qui è Virgine & Spiritu sancto natus, simul Deus & homo nihil aliud quàm veram & viuam fidem ab hominibus poscit, quam & ipsemet petentibus gratia sua largitur; ita vt meritò non Fidius tantum, sed Dius etiam Fidius nuncupetur, id est, Deus siue Iupiter Fidius. Quod vt verisimilius reddatur, addendum & illud ex Catone, hunc ipsum Diem Fidium Sabum etiam vocari: quæ vox à Sabent facta, designat primæ causæ vinculum. Christus enim vinculum & mediator inter Deum siue primam causam & hominem. Sabinus autem Sabi filius est; quoniam omnes ij qui primæ se causæ alligant, quod est Sabent/ per ipsum primæ causæ vinculum se ligare debent, numquam alioqui Deo alligandi: quandoquidem non aliud vinculum sit, quàm Christus verus Deus & homo, & solus inter hominem & Deum mediator. Huius autem filij sunt quotquot per fidem sese ipsi deuinciunt. Nochus igitur Sabinus fuit Sabi filius & viua eius imago, & non ipse solus, sed omnes quotquot sese Sabo siue Dio Fidio per fidem coniungunt.

Scio esse non paucos, aut potius quam plurimos, ne dicam plerosque omnes qui

Bellona vnde dicitur.

Bellum. Æl. Æalg. Belgæ.

Belgæ Gallorum populi vnde dicitur.

Dius Fidius, Quirini, siue Enyalij filius.

Christus Dius Fidius & Sabus.

Sabus dicitur Dius Fidius. Sabent. Sabinus.

Allegoria & Ianigenarum fabula verissimè diligenter sunt examinanda, & ad veritatem referenda.

tam prava de antiquis fabulis opinione imbuti sunt, ut si hæc ipsi dicerentur, mox cælum terræ clamoribus miscerent, & fortè sibi vestem scinderent, tamquam sacrilega hæc esset oratio. Verùm id genus homines valde iniqui sunt, allegoriis non solum prophetarum, sed ipsius etiam Christi, dum credunt, nihil sani sub fabularum larvis latere posse. Quid dico, iniqui sunt allegoriis? verius dicerem, blasphemos & maxime iniurios in viros illos, quorum singularis vel vitæ sanctitas, vel felicitatis à Deo concessa prærogativa diuinis Mosis oraculis est celebrata. Num putamus Nocho Spiritus sancti dona defuisse: num ei nihil inspiratum de Christo venturo, nihil de sanguinis diluuiio, quo totius mundi fordes essent abluendæ? Quem Deus filij sui typum esse voluit, eum scilicet omni cælestis vitæ consolatione fraudauit; ei scilicet nullam spem dedit humanæ naturæ reparandæ, & ad integritatem à qua lapsa erat, reducendæ? Quod, rogo, illa spectabat prærogativa, Iano diuina patris promissione confirmata, & hac faustissima verborum formula concepta, *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculo Semi, sicut Chanaan seruus eius?* Cui Deus pollicitus est Semi tabernacula, quid aliud pollicitus est, quàm omnia quæ Semi erant futura, & inter cetera possessionem eius primariam, quæ sita erat in vero Dei cultu? Quis autem posterorum Iapeti siue Iani hanc occupauit? Quis? Nempe Italus Ianigena, & externi sermonis ferens nomenclaturam, tum ob alia antè dicta, tum quia in alterius linguæ hominum hæreditatem diuina gratia erat venturus. Quando hanc Semi hæreditatem occupauit? Tum haud dubiè, cum religio ad Romanos venit, dum Sibyllæ carmina vnum regem adorandum dicerent, aliaque ad fidem nostram spectantia clarè monerent. Hæc per Nochi os Iano promissa sunt: & nihil prorsus eorum dicemus vel ab ipso Nocho, vel à Iano fuisse intellectum, aut eò, quod debebat, relatum; nihil etiam horum quæ Deus se posteris daturum sponderat, memoriæ mandatam, nihil scriptum, nihil allegoriis aut fabulis inuolutum? omnia neglecta, & contempta, & indigna visa, quæ ad nepotes & eorum posteros certis aliquibus signis & notis transmitterentur? Si quis sic cogitet, si quis tam absurda contra diuinissimos illos viros sibi persuadeat, si quis tam ingratos eos contra Deum, tam inuidos contra posteritatem faciat, eum ego non modò iniurium & sacrilegum in sanctos viros, sed etiam ab omni sensu humanitatis alienum esse dico. Quamobrem veritissimæ illæ Ianigenarum fabulæ apud Pontifices conseruatæ, & per manus ad posteros transmissæ, diligentissimè sunt examinandæ, & ad veritatem referendæ, quàm faciliè in iis perspiciemus, si prisca voces hac via quam hîc monstramus, interpretemur. Equidem omnia reuererem & contemnerem, quæ per eam inueniuntur; nisi viderem perpetua quadam rerum inter se consonantium catena me trahi, & omnia sic inter se consentire, ut nulla harmonia maiorem possit habere concentum. Videte igitur quò dæmoniaca fraude pertracti sint mortales, dum ex Enyo Bellonam fecerunt, furiam ex dea tutelari. Sed missa faciamus hæc, sic tamen, ut perpetuò nobiscum maneat verus Quirinus, ad cuius cognitionem Dodonææ quercus oraculo peruenit.

Redeamus ad pomosam nostram coronam, ad quam absoluendam, sat mihi videor pomorum attulisse.

FALCEN. Ne obliuiscaris pyrorum, & nucum, & castanearum quas tibi in Theatro Pompeij Romæ habitanti campus florens larga copia suppeditabat ad vini saporem reddendum suauiore.

GOROP. Numquam absoluero, si per pyrorum genera fuerit vagandum. Quòd si cum Virgilio contentus sis

Crustumis Syriis que pyris, granibus que volemis,
tolerabilis conuiua poteris videri: atramen ne sic quidem multo à me certior, quàm antè fueris, abibis. Macrobius ut mala, ita & pyra diuersorum quidem nominum esse dixit, sed qualia quæque essent, non adiecit. Seruius Crustumia ab opido nominata rubere quadam parte dicit, Syria nigra, Volema Gallica lingua bona & grandia interpretatur; quod si verum est, vox composita est à *Vol-heim*, id est, à plena domo, quasi vox esset optantis magnis bonis sibi domum repleri. Equidem nomina non sector, non magis quàm in malis, cum in vtroque genere alia sint apud alios ut variis de causis indita, ita nihil ad antiquitatis cognitionem factura. Sat sit ipsum genericum pyri nomen intelligere; quod quidam, quasi à *ωπρ* deriuaretur, per *ωπρ* scribunt: sed mea quidem sententia

Pyrorum varia genera. Crustumia pyra. Syria pyra. Volema pyra. Vol. Vem. pyrum vnde opidum.

sententia aliunde nomen duxit. Nos *Deer* vocamus à *Deer*, propter primam siluestrium naturam, quæ sic sese defendunt contra comedentes, ut ferè suffocent; quam suam indolem difficulter sinunt mitigari.

CASTANA siue Castanæ nuces vnde dicantur, nec Græci, nec Latini tradiderunt. Mnasitheus Atheniensis Euboicus etiam nuces vocari ait in iis quæ de eduliis scripsit. Oppius in libro De siluestribus arboribus Heracleoticas quoque dici auctor est; cum Mnasitheus nuces Ponticas hoc nomine intellexisse videatur: Diphilus Sardinianæ glandes: Agelochus Amota & nuces Sinopicas videtur nuncupasse. Sed in hac diuersitate nominum nihil vtilitatis. Pluris facio eos qui castaneas maiores Maronia vocant concinniore nomine, quàm ipsimet arbitrentur; propterea quòd egregium sint insectamentum ad vinum Maronium suauiter ad luculentum ignem pitissandum. Castana autem dicuntur, quasi Costana; quòd non antè legantur, quàm tempus ad sit libernum; quo iam incipiendum est hominibus ea consumere, quæ æstate reposuerunt. Memini cum Xerandilæ in pede montis Vaccæ essem, mense Nouembri, maturino tempore multo ante lucem, maximam omnis ætatis & sexus turbam quotidie excurrere facibus accensis, quæ nihil aliud erant quàm baculi quernei excorticati & contusi grauibas malleorum ictibus, ac deinde accuratissimè deficcati, quibus utebantur, ne per tenebras vel in saxa impingerent, vel præcipitarentur, interea dum ad castaneta ascenderent. Erat sanè hoc spectaculum iucundius vario cantu, & clamore, & luminum frequentia, quàm omnes nocturni laruatorum in Bacchanalibus discursus; cum non pauciores quàm trecenti, aut quadringenti, aut plures etiam ad castaneas legendas, mihi multis diebus exire viderentur. Hæc enim ipsis præcipua est messis: quarum si magnam copiam collegerint, eas tritico cum Tolertanis, aut aliis vicinis ciuitatibus apud quas sunt, pro bellariis commutant. Sin quis est cui minus earum sit, quàm ut tantum pro iis tritici habere possit, quantum integro anno sit suffecturum, ei necesse est his glandibus frumenti loco vesci. Faciunt nimirum hi, ne cui mirum videri debeat, quercus primis mortalibus victum suppeditasse; quòd tamen ego longè aliter quàm plerique omnes intelligo, ad allegoriam totam hanc referens narrationem, ad quam Druidum me carimoniarum impulerunt, qui firmissimum animorum pabulum nò aliunde quàm è cælo nobis dilabi existimantes, opinionis suæ tesseram glandibus attexuerunt; non tamen hac sola vti ratione, sed aliis multis suo loco à me latius exponendis.

NUCES quas addidisti, Falkenburge, cum pomorum nomine potius quàm glandes apud Latinos comprehendantur, non sunt alienæ illæ quidem à Vortomni corona, sed latius earum se porrigit consideratio, quàm ut tota breui sermone possit comprehendendi. In his auellanæ nuces ab Auella Campania opido dictæ, si cui id placere potest, ab aliis Ponticæ & Heracleoticæ, mirum est quòd corylum arborem parentem nomine suo non honorarint, quam tamen Magi in summa habent veneratione, ita ut inde nomen Coryli traxisse videatur, à *Cœr-hul*, quo carimoniarum imitatio Cimbris notatur. Sed relinquamus nuculas Prænestinis. ad regias siue Basilicas veniamus, quæ præstantiore nomine Iuglandes, quasi Iouis glandes nominantur. Hæc nuptiarum auspiciu olim habuerunt, ut Festus annotauit. Plinius Fiscenninorum comites dicit, quæ carmina nuptiarum cani solent, licentia quadam maiuscula, matrimonij statum aperientia; vnde mihi non semel in mentem venit, non ab opido, ut putant, eius nominis, sed à materia sic vocari; cum *Deferentem* nihil aliud sit, quàm statum cuiusvis rei noisse. Primis enim illis maioribus summa curæ fuit, omnibus modis bene prospicere ipsi primo hominum societatis exordio, ceu necessario torius Reip. bene feliciterque constituendæ fundamento, citra quòd frustra de reliquis ad beatam mortalium vitam necessariis laboraretur. Quamobrem carmina cani in nuptiis voluerunt, quibus omnia quæ ad rectum legitimi sanctique coniugij statum pertinerent, liberrimè ostenderentur. Quoniam præterea nihil æquè memoriæ infixum manet, atque id quòd symbolis quibusdam palam non docetur modò, sed spectandum etiam proponitur: visum est & hoc præsidio, si quando alibi, tum maxime in nuptiis vti. Placuit ergo nux in primis multis de causis, & inter ceteras, quas longum esset sigillatim explicare, hæc vna fuit, quòd nucleum quidem habeat suauissimum, sed cum multis munimentis ita vallet atque custodiat, ut prorsus diuinum esse videatur, quòd intus continetur: quo monere voluerunt, dulcissimum esse

Castana, siue castanea nuces. Heracleotica nuce. Pontica nuce. Sardiniana glandes. Amota. Sinopica nuce. Maronia.

Nucum varia genera.

Auellana nuce.

Corylus.

Basilica nuce suo Regia. Ingians. I. Iouis glans. Fiscennina carmina.

Deferentem.

Memmen.

Nux nuptiarum symbolu.

matrimonij fructum, sed opus esse plurima, & diligentissima, & firmissima custodia ad eius suauitatem tuendam. In primis acerbi labores subeundi, durissima quæque perfe-renda, vt ea suppetant, quibus connubij & dulcedo & dignitas tum augeri tum constare possit. Hæc si enumerem, infinitus sum; & in re clara multum operæ verborumque ponere, odiosi sit declamatoris aurium patientia abutentis. Plautinū est: Qui è nuce nucleum esse vult, frangit nucem; at priscorum fuit sententia, qui coniugij suauitatem gustare velit, & perpetuam sibi, dum vivit, seruare; eum oportere id quod carissimum habet, acerbo labore, amaris curis, duris asperisque molestiis, multis diligentiae inuolucris & mæandris & parare, & custodire; haud secus atque natura nucleum in nuce prius accuratissimè munit, quàm gignat; deinde natum paulatim diligētius obsepit, & vndique defendit, quo perueniat ad destinatum dulcedinis finem. Quocirca si vxor cara, si liberi cari, si horum prosperitas iucunda & suaui; necesse est, vt summa diligentia naturam in nucleo muniendo sequamur. Ad hanc tesseram ille respexit, qui nomen regiarum dedit Caryon, eo quod Car-hut ad vnguem Cimbris designet ipsius quod carum est custodiam. Car autem nostras esse vocabulum, cum in Amazonicis ostendi, tum de formula conuersionis, quam peculiarem Cimbrici habent, est clarissimum: quandoquidem vox versa finem significat & scopum, ad quem is tendit, cui quippiam esse carum. Quo verò magis mihi credatis, videte ab eodem fonte nuclei nomē apud nos mansisse, quem Carn vocamus. Iniurius igitur est Plinius Iouis glandi, dum à capitis grauedine, quam inducat, nomen accepisse dicit: quod tantum abest vt verum sit, vt ne hoc quidem ipsi demus, hoc nomen huic nuci esse peculiare; immo contrà cum Græcorum doctissimis, vocabulum hoc commune non ceteris modò nucibus, sed etiam amygdalis esse, asseramus; propterea quòd diligenter id quod in ipsis est carissimum, custodiant. Neque verò iuglandes magis capiti nocent, quàm amygdala. Quid dico nocent, cum vtrumque genus robur capiti addat, vt in medicorum scholis nemini dubium esse credo. Virgilius quamuis etymon ignorarit, bene tamen Castaneas nuces vocauit, de veterum Græcorum imitatione, apud quos & hoc genus Caryi nomine comprehensum fuisse Heracleon Ephesius testatur; nec malè omnino, eo quòd licet inter glandes sit, nucleum tamen ita muniat, vt idem nomen mereatur. Qui igitur Caryia in nuptiis iacienda voluerunt, non solum naturam imitandam proposuerunt, sed nomine etiam ipso significarunt, nouam nuptam diligenter esse custodiendam, & ab omni muniendam aduersitate.

Caryon nux
regia.
Car.
Hut.
Nac.

Carn.

Nux unde
dicitur.

Nuclei viues
& facultates.

Quemadmodum autem Græcis ignota est nominis Caryorum ratio, ita & Latinis Nucum; tamen si & ab horum quibusdam eò ventum sit, vt à nocendo nucem deriuent, quoniam satis noxiam esse dicant. Absit omen, vt fructus dulcissimus tam inauspicato nomine à vetustissimis fuerit vocatus. Absit, inquam, vt eandem nucem & noxam esse dixerint, & Iouis glandem. Quid rogo vtilius hac nucē, quam Græci Basilicam nominarunt? Arbor ad delicatiora opera elegantissimam præbet materiam: nux ipsa non suauius modò ad edendum, sed oleum etiam fundit dulcissimum, nec minus salubre: quas dotes maxima pars Galliarum insigni commoditate experitur. Iam ne cortex quidem exterior variis caret emolumentis, hinc tinctoribus, hinc medicis in faucium inflammationibus miram adferens utilitatem. Nec teneris nucibus necdum nucleos habentibus insignis deest vsus, dum ad ventriculo robur conciliandum vel sapa, vel melle, vel saccharo condiuntur, hac parte non parum myrobalanis omnibus præstantiores; reclamant licet quotquot sunt peregrinæ mercis patroni, frequentissimè pretio potius & recepta temere opinione, quàm bene accurateque expensa ratione sententiam de rebus ferentes. Habent enim vltra insignem adstrictionem partes quasdam subtilissimas, quibus roborandi vis ad intima quæque defertur, ita vt non ventriculo modò & hepatis relaxatis opitulentur; sed spirituum etiam vitalium officinam à noxiis & pestilentibus fumis tueantur: nec hæc solum eximie præstent, sed præterea etiam proprietate quadam peculiari à tota substantia manante epidemicam luem & veneni noxam arceant, ita vt meritò in primariis fuerint Mithridatis amuletiis. Cum igitur tot sint insignes dotes huic fructui interius sumpto, cum præterea exterius inflamatis, ambustis, relaxatis, alopecia laborantibus, fordibus & malignis vlceribus, & plurimis aliis vitis egregie resistat; cuius tandem esset aut impudentiæ aut imperitiæ, ei nomen à nocendo

nocendo deriuare? Nux Cimbris præ dicitur vel præ; à quo non mirum est, Latinos Nux fecisse, cum Allemanni quoque Nux inde forment. Quamobrem obscura non est vocis ratio, si consideremus quid præ per ω mega designet, quod necessitatem significare scimus. Huius conuersio præon nihil aliud est, quàm ostendo; propterea quòd necessitas nihil non demonstrat aut doceat eorum quæ homini sunt facienda; iuxta illud ab Euripide dictum, hominem necessitate sapientem fieri, quantumuis tardo sit ingenio. Fertur Archytæ Tarentini versus idem affirmans, quò & Plutarchum vsum recorder:

Χρησὶ πρᾶν ἐδίδου, τίδ' οὐ χρεὼν κεν ἀνεύροι.

Bene quidem hæc & verissimè à priscis Græcis traduntur; sed tanto compendiosius, quanto maiore artificio in Cimbrico sermone hæc sententia vna syllaba & tribus dumtaxat litteris continetur; quibus non hoc modò ostenditur, necessitatem docere; sed illud etiam, frustra doceri, quæ non sunt alicuius necessitatis. Sic enim voces hæc prorsus & versa sunt inter se connexæ, vt vestigiis retrò lectis vtrumque discamus, & à necessitate doctrinam proficisci, & contrà ea dumtaxat esse demonstranda hominibus, quæ ad aliquam pertinent necessitatem: quæ posteriore parte omnes superuacaneæ curæ proscribuntur. Quoniam igitur Caryia arbor plurima nobis adfert ad vitam necessaria, quæ modò sunt breuiter indicata; & præterea res eas nobis exemplo suo ostendit, quibus ad Reipub. salutem in primis opus est; meritò nomen accepit, quo parua quædam necessitas significari videretur. Quemadmodum enim præon vocali longa necessitatem signat; ita præon vocali breui Caryon, à qua voce Nux Latinorum corrupta, de genitio fortasse, qui præon est, occasione sumpta. A præon item fit præon; id est, vtile; eo quòd hoc paullo minus sit quàm necessarium: à quo si nucem deriuatis, non malè omnino feceritis. Verùm mihi placet prior ratio, non solum utilitatem complexa, sed propius etiam ad necessitatum demonstrationem accedens. Nam ipsum nomen de origine sua dicere videtur, qui suauitatem quampiam velit degustare, ei necessarium esse, vt per acerba, amara, dura, & multos anfractus ad eam pertingat. Videtis ne modò quàm elegantes rationes vtraque vox & Græca & Latina habeat, si ad primos suos natales reuocetur; quibus non tantum nucis natura, sed symbolica etiam admonitio apprimè cum ad reliquorum omnium, tum maximè ad coniugatorum vitam vtilis continetur. Habemus itaque causam, ob quam nuces in nuptiis iaci consueuerint; & inde ferè intelligimus, cuius generis fuerint carmina Fescennina, quorum hæc comites cum essent, nihil aliud dicere videbantur, quàm suaues quidem esse matrimonij fructus, sed eos multis difficultatibus includi, quas necesse sit percurrere, si illis sit fruendum.

Præon.
Præon.
Præon.
Præon.
Necessitas omnia demonstrat & docet.

Nux à vitis.

Nuclei pineæ
symbolum.

Thalassii acclamatio in nuptiis quibus designat, & unde dicitur.

Thy sine

Ec.

Al.

Hymen unde dicitur.

Hu.

Man.

Idem propè significabat nux pinea; nisi quòd copioso suo semine faustum præterea omen numerosæ sobolis habere videretur, & hoc etiam adderet, omnè duritiem & molestiam, per quam ad coniugij dulcedinem peruenitur, calido amore esse vincendam & mitigandam, haud aliter atque semina è Cybeles pomis calore depromuntur, quo durissima septa facillimè dehiscunt, nullis alioqui machinis aperienda. Frequens autè Thalassij acclamatio in nuptiis fieri consuetam omnium onerum communionem coniugatis ingerebat, quo monerentur, nihil tam graue alteri eorum euenire posse, ob quòd legitimum matrimonium rumpere liceret: quod Christiani etiam in iugali contractu ab utroque volūt sponderi. Plutarchus enim frustra de lanificio cogitauit, falsò sibi persuadens, primam Romanorum linguam Græcam fuisse. Thy-sin idem est quod ad omne onus, vnde Thalassij nomen corruptum. Hymen verò ad viri custodiam spectabat, eo quòd hic caput esset, nec saluus esse posset, nisi & vxor salua esset, cuius custodiam & omne onus in se receperat. Hymen enim, vt Doricòs pronuntiat, siue Deus ipse, siue Dei minister dicitur, quoniam virum custodiat & tueatur. Sed hæc aliàs & ordinatius & copiosius. Relinquamus modò nucem. F A L K E N. Mirificè me, quæ de nucibus dixisti, delectarunt: nec video modò quid vltius mihi de pomis dici optem.

G O R O P. Non pauca restant, si de omnibus esset sermo habendus: sed hoc dumtaxat in iis vobis puto placere, quod faciat ad antiquitatis cognitionem, quam hic nobis proposuimus in Propertio examinanda. Nihil igitur de carycis, palmulis, caryotis clientum viliorum strenis, nihil de oliuis, orchadibus, radiis, pauffis, aliisque id genus dicendum:

cendum : quæ si perfequenda essent sigillatim , dies nos deficeret . Arbor tamen illa quam procul video , nisi me oculi fallant , Sorbus est , Sorbus est , quæ Latinis nostro quoque nomine hæctenus appellant . Nam Sour-wyn acidum vinum notat , è quo Sorbum , quod acidum vini habeat saporem , atque adeo succo suo vinum æmuletur : quod Virgilius ita expressit , ut nominis rationem sciuisse videatur :

Hic noctem ludo ducunt , & pocula lati
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis .

Videtis ne quàm aptè nominis ratio rei significatæ & naturam & usum expresserit , dum Sorbum acidum vinum sumus interpretati ? Sunt in hoc genere Torminalia , vocata quod torminibus siue dysenteriae medeantur ; quorum arbor foliis suis Platanum refert . Sed satis de Sorbis atque in vniuersum de malis .

Transeo igitur ad Propertium , qui duabus nominis Vortomni rationibus reiectis , tertiam addit , quam ut veram ipsi Deo tribuit , prioribus ad mendacem famam relegatis :

Mendax fama nocet , alius mihi nominis index :
De se narranti tu modò crede Deo .
Opportuna mea est cunctis natura figuris ,
In quamcumque velis , verte , decorus ero .

Causa nomenclaturæ , quam hic latè perfequitur , æquè est atque priores falsa , uti satis liquet ex iis quæ à me dicta sunt : quibus apertum etiam reddidi , qua ratione omnis ornatus Vortomnum deceat , non alia nimirum , quàm quod Deus omnis felicitatis auctor æquè paratus sit & promptus ad cuiusvis vel generis vel artis homines benignitate sua , in iis quæ faciunt , promouendis .

Mendax quis sit , noctes Atticæ docuerunt , illi hoc nomen impingentes , qui confueverit contrà loqui , quàm mens sentiat . Vnde igitur etymon ? Num fortè à mente , per antiphrasim , ut Eumenides dictus aiunt ? Mihi non fit probabile ; ut qui putem ex Cimbrico sermone vocem hanc ortum habere . Mein-er periturum significat , quod vulgo nec bene scribimus , nec bene pronuntiamus . Est enim Mein-er proferendum , diphthongo conuersa ; eo quod Mein sit opinari , à Men/ quod est ducò ; Mein verò falsum , & vnitatem vitans , à Mi/ id est , vito ; & En/ vnum . Hinc Mein-er falsum iuramentum , eo quod in ipso iuramenti & vnius concordia vitetur . Eodem Meindacht/ id est , mendacium ; quoniam aliud dicitur , aliud cogitatur , vitata nimirum vnione sermonis & cogitationis . Hinc Latinis mendax , pro diphthongo , qua carent , secunda vocali reterta . Fama nobis Faem dicitur : Latini opinantur à for , quod falsum ; cum & Græcis φήμη dicatur . Nec item Græcis à φημι , quod idem est quod loquor . Nos scimus famam esse id , quod inter homines iactatur , incerto auctore ; quod cum nec in hoc sit nec in illo fixum , in aère videtur esse . Hinc volare dicitur , ut in Argonauticis Orpheo attributis ,

Quoniam verò aër & celerrimè fertur , & à terra ad cælum pertingere videtur ; sic à Virgilio descripta est Fama , ut neutrum horum sit neglectum :

Fama malum , quo non aliud velocius ullum ,
Mobilitate viget , virésque acquirit eundo ;
Parua metu primo , mox sese attollit in auras ;
Ingrediturq; solo , & caput inter nubila condit .

Verum quo certius fiat Famam ab eo in aère constitutam esse , perinde atque nostrates ferè de ea loquuntur , Theocriti cum Virgilio collationem adducam . Ille enim in Thalyssiis :

Κηρών τοῦ ἐφάμεν , λυκίδε φίλα , πολλὰ μὲν ἄλλα
Νύμφαι κημὲ διδάξαν ἐν ὄρεα βουκολίωντα
Εἰδὼλὰ , τὰ που κη Ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμεν .

In his multa eorum quæ à Nymphis in montibus pascens didicerat , ait ad Iouis vsque thronum Famam pertulisse : quod Mantuanus ad hunc modum imitatus est :

O quoties & qua nobis Galatea locuta est ,
Partem aliquam venti diuinum referatis ad aures .

Sorbum unde dictum . Sour-wyn .

Torminalia sorba .

Mendax unde dicitur .

Mein-er .

Mein .
Men .
Mi .
En .
Mein-er .
Meindacht .
Fama unde dicta , et quid significet .
Faem .

Fama descriptio .

Hic videre licet , ventos pro fama positos esse , quam tam diligenti antiquitatis obseruatione ferè totus obstupescò , cum nequeam reperire , qua via tam propè ad veram nominis rationem accesserit , ut famam per ventos tamquam subiectum siue materiam definiuerit . Quid enim aliud est Faem/ quàm Wat-hem/ id est , venti vox , siue vox per flatum allata ? Fit autem ex duplici digamma nostrati digamma Eolicum , ad leniorem compositioni sonum comparandum ; cum mollius sit Faem quàm Waem . Fuerunt qui putarent Rumorem & Famam discrimine quodam diffidere : verum illud assignare difficile esset Latinis , cum vtrumque nomen nostratibus sit vernaculum . Rumor enim tum Fama esse incipit , cum iam in populo ita inualescit , ut iam latissimè omnium auribus insonet . Nos tamen hac voce non ferè utimur , nisi pro ea fama quæ homines quadam tenus commouet atque perturbat . Componitur à Ruum & Hoo/ quibus vocalis auditus latè in omnem partem sparsus notatur : qua de causa pro murmure sapius & commotione apud nostros , quàm pro fama , vsurpatur ; quamuis de vtroque dici possit . Et hæc quidem obiter de Fama & Rumore , quo cernatis , vnde Latinæ linguæ origines sint petendæ ; quas in singulis ferè nominibus peruestigare possem , nisi & prolixitatem viderer , & scirem plurima sic esse corrupta , ut vix tenuia prisca linguæ vestigia retineantur . Nam & Nomen à Cimbris venit , qui Faem pro eodem dicunt , sed illo seruato artificio , ut vox versa vsu & scopum nominis ostendat . Quorsum enim nomen , nisi vt nobis imaginem rei , quam significat , repræsentet , quod Maem vocatur : à quo Moneo Latinorum , cum illo peccato , quod primam syllabam habeat correptam , quam longam esse oportuit . Sed de hoc aliàs . Pergat Vortomnus .

Indue me Cois , siam non dura puella ,
Meq; virum sumpta quis neget esse toga ?

Coas vestes pellucidas fuisse , & easdem bombycinas , ex Aristotele & Plinio clarum , tribuentibus earum primam texturam Pamphilæ Coæ , Plati , ut Aristoteles habet , siquæ quo codex Plinianus Latoum fecit . Procopius & Theophanes Byzantinus è Serum regione , quam tum Turci pulsis Ephthalitis occupabant , semen vermium , qui sericum texunt , Iustiniano primum allatum fuisse tradunt . Quid igitur de Pamphila dicemus , quæ & ipsa è bombycum , de quorum genere vermes Indici sunt , textu telas fecisse ab Aristotele perhibetur ? Ego id expertus sum , alias quoque erucas esse , quæ domunculam sibi sepulchralem texunt , è qua tandem rediuiæ prodeant , inter quas maximam vidi minimi digiti longitudine , in cuius dorso cyanei coloris gemmæ pulcherrimis Turcicis , ut vocamus , simillimæ eleganti ordine dispositæ cernebantur , quæ non mori foliis , sed aliis satura , perinde atque erucæ Sericæ , telam suam perfecit , in qua stridor lapillorum videbatur audiri , interea dum sese intra oculos suos volueret . Crediderim itaque Pamphilam ex eiusmodi erucis , de quibus , ut vulgaribus , Aristoteles scribit , Vestem bombycinam fecisse ; quod fortasse de cuiuspiam relatu audiuisset , apud Seras quoque non ex arboribus depecti , sed ab erucis fila deduci . Scimus arborem esse , cuius nux lanas inuoluit , è quibus telæ sunt mollissimæ , hoc tempore Cotoneæ dictæ : quæ vox si antiqua est , ut videtur , significat ab hac lana arborea gregem defraudari suo honore , eo quod mollior sit & delicatior multo quàm lana ouilla . Quis non miretur hanc etymologiam tam insigniter quadrare , tam que luculentam lanæ arboreæ laudem continere ? Atqui desinat mirari , si Serum nomen examinet de Cimbrorum lingua , in qua ex Sei-er/ quo seminandi honor significatur , fit Seer/ pro eo quod est , excellenti quodam modo semino . Vnde Seeres Dea frumenti seminandi , & ad frugem producendi : ex qua voce Ceres Latinorum , mutato sibilo in tertiam litteram , uti in Nocco à Nos nostrati , cui contrarium Sen . Seer autem apud nos ferè D recipit , eo modo quo dicimus Mein & Miden/ Strien & Striden/ Wien & Widen/ & infinita alia : Qua forma dicimus Seeren & Seerden/ Seer & Seerd/ quo pro eo utimur quod Diogenes dixit se hominem seminare . Finis autem omnis præstantis & honoratæ sationis est , ut ea increpant & assurgant quæ seruntur ; quem vox versa mox indicabit , si ex Seer facias Sees . Vermis ergo qui sericum nere confuevit , Seer dicitur , quia excellentissimo modo generis sui propaginem ferit , seipsum prius matrici includens , veluti sepulcro securissimo , è quo paullo post rediuius exurgat : quod posterius versa dictiuncula denotatur , cum Sees ad verbum significet surgebat . Utimur enim ferè præterito imperfecto ad nomina

Wat-hem .
Wem .

Rumor unde dicitur .

Ruum .
Hoo .

Nomen unde dicitur .
Maem .
Maen .
Moneo .

Coæ vestes .
Bombycina vestes .
Sericæ vermes .
Verm .

Cotoneæ tela .

Seres vermia .

Ceres den .
Seer/Seerd .
Seeren/Seerden .

Sees .

Hic

nomina ea fabricanda, quibus perpetuum aliquid indicatur; vti fit in Serum generatione. Vermem autem Serem vocari, Pausanias in Eliacis tradidit ad hanc ferè sententiam: Cannabem quidem, linum & byssum serunt, quæ gentes idoneum ad hæc ferenda solum colunt: Sed enim quæ fila ad texturam vsurpant Seres, ea nulla è stirpe sunt. Nascitur in eorum terra vermis quem Serem Græci, ipsi longè alio appellant nomine. Hæc quidem bene Pausanias; si verum est, alio nomine vermem apud Seras vocari, quod mihi numquam persuadebit; cum toti genti à verme nomen datum esse videatur. Ceterum quæ deinde addit de educatione, vanissima sunt, & ab impostore quopiam Græco scriptori obtrusa. Quo minus mirum est, Virgilium veræ historiæ fuisse ignarum; cum multis antè sæculis viuis excesserit, quàm vlla certa Serici conficiendi notitia vel ad Græcos vel Latinos peruenisset. Vixit Ammianus Marcellinus post Valentis Imperatoris cædem, homo perquam curiosus rerum exterarum, qui suo tempore Sericum scribit à nobilitate, cuius antè in deliciis erat, ad infimos quosque sine discrimine transisse; & hic tamen de Seribus agens eandem habet de arborum velleribus cum Virgilio sententiam, sic canente:

Velleraq; ut foliis depeccant mollia Seres.

Quid quoddam ipsi Turci obstupuerunt, dum apud Iustinianum vermium educandorum & Serici conficiendi rationem inuenirent: tanta nimirum cura fuit, ne huius quæstus amplissimi communio ad ceteros mortales transiret; quæ nunc ita latè sparsa est per vniuersum orbem, vt vix linum ipsum sit communius. Quamobrem non est operæ vilius pretium aliud hic considerare, quàm ipsum nomen vt antiquissimum, ita eo factum artificio, vt nobis palingenesiam quandam contemplandam offerat; quæ, siquid aliud, in omni rerum natura non paruam habet admirationem, dum vermis quasi iam vitæ sacur sese viuum tymbo includit, in quo ipse corpus primum corrumpatur; deinde stupenda metamorphosi rursus in ipso sepulcro vitam accipit; & terebrato valido textu, cui sese incluserat, in lucem prodit, non iam vt prius longus vermis, sed bombyx alata: quæ deinde rediuita, nec volatui nec pabulo indulget, sed in solam Venerem incumbit, atque id tantisper, dum rursus emoriatur, solo semine relicto, sed tam copioso, vt à singulis matribus centena frequenter oua ponantur. Verum ne putetis vna nocte aut vna die tantam sobolem creari, quatuor aliquando diebus in complexibus permanent, ipso Ioue Herculem apud poëtas generante hac parte superiores. Ceterum quid ego vobis hæc, quos scio hoc in lanificio me esse peritiores? Mihi hoc dumtaxat fuit notandum, hanc excellentiam feminandi, cui tam diu incumbunt, nullius interim alterius rei memores, neque potus neque escæ, per nomen Serer eleganter esse expressam: deinde eas, quæ modò generationi totis viribus ad mortem vsque incumbunt, non ita dudum in vitam rediisse, vox versa declarat, cum Seres nihil aliud sit, quàm surgebat, quasi diceretur; Bombyx, quæ nunc in generando omnia animalia superat, non ita dudum à morte & sepulcro surgebat. Videntur ij qui nomenclaturam hanc dederunt, homines admonuisse, Deum, qui debilissimis animalculis hanc corporum dat resurrectionem, eum humana corpora non perpetuò deseriturum. Nec absurdè facio, dum Cimbricum nomen esse dico, quandoquidem Seres Scythæ fuerint, & Scytharum lingua locuti, quam Indoscythica nostra Cimbricam esse tradunt. Quid rogo potest hoc vermiculo in generando esse mirabilius? quid mirabilius item, quàm post mortem è sepulcro prodisse rediuitum? Num ergo vlla vox posset inueniri, quæ vtrumque horum clariùs designaret, clariùs aperiret? Dignissimus admiratione hic naturæ circulus & recursus, ad quem denotandum haud scio an quisquam mortalium paris artificij vocabulum posset fabricari, quod tanto quisque magis admirabitur, quanto accuratius diutiusque considerabit. Nunc satis de Cois vestibus, quas Bombycinas, & Sericas esse, non verò Byssinas, ex his perspicuum euasit. Solent autem molliores femine apud Romanos his vti, non citra Satyricorum & Senecæ etiam ditissimi morsus, quos nihil attinet nunc referre, cum huius tempestatis mulieres omnem superent in luxu reprehensionem. Quod Propertius de toga virili dicit, nihil habet dignum annotatu, vti nec illa quæ sequuntur:

*Da falcem, & torto frontem mihi comprime sæno:
Iurabis nostra gramina secta manu.*

Arma

*Arma tuli quondam, & memini, laudabar in illis;
Corbis & imposto podere, messor eram.*

Fœnum Grammatici à fœnore deducunt. Mihi placet à Cimbrica voce *Hoe* dici, mutata adspiratione in digamma; veluti in Felena pro Helena: atque eo non ipsum grammen simpliciter, aut certam herbam, quam Gotalani *fen* nominant, & ad bouum pabulum ferunt, vocari; sed omnem herbam quæ ad conseruandum, quod *hoten* dicimus, secatur. Gramen verò dicitur à nostro *Gras*, quod à celeritate crescendi nomen habet, quasi *Gras*. Corbis nomen hic conuenientissimè etymologiæ vsurpatum: Nos enim *Coz* dicimus, à *Coz-hes* per synopen; id est, frumentum eleuo siue porto, quamuis nunc ferè generatim sumatur.

*Sobrius ad lites, at cum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subesse meo.*

Quæ in foro ad tribunalia gerebantur, à sobriis fiebant. De coronis quas in computationibus sumere solebant, satis multa cum alibi, tum apud Dipnolophistas habetis. Coronam autem nostras esse vocabulum, aliàs declarauit, compositum è *Car*, & *ron* per concisionem, quod propriè tempus notat, & deinde circulum vel caris imponi, vel læto & caro tempore sumi consuetum. Vinum item à *Wijn*, & hoc à *Wien* dictum esse, Indoscythica docuerunt.

*Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
Furabor Phæbi, si modò plectræ dabis.*

De Baccho quid sentiendum sit, Indoscythica mea demonstrant. Verum quoniam sacra vocabula diuersis Dei beneficiis significandis principio facta, non solum ad homines & angelos Dei ministros, vt illic dixi, sed ad naturales etiam causas, quibus Deus dona sua mortalibus distribuit, translata sunt; necesse fuit Soli, vt plurimarum in his inferioribus rerum effectori, quàm plurima nomina diuina commodare. Quoniam igitur Sol vinum maturat, Bacchus, quia omnia reuelat, Apollo, quia omnibus suppeditat alimenta, Phœbus, quia ipsius discessu vitalis animalium calor perit, Iacchus, quia terra comas à nobis recedens abscondit, Mithra, quia in signis hibernis currens orbis nostri custodiam odisse videtur, Atyr vocatur; & similibus de causis tot fortitur nomina, quot ipsius vel præsentis vel absentis adscribuntur effectiones. Atque his causis naturalibus in elementis, & eorum quæ elementis constant, commistione vim suam exercentibus, tot sunt apud insanos homines Dij exorti, quot vel de nominum, vel de euentorum varietate lucripetæ sacrorum pseudierophantæ potuerunt comminisci. Hoc malo totus ferè orbis fuit infectus, omnibus ab ipso creatore ad creaturas, à pessimis impostoribus seductis, cuius erroris impietatem D. Paullus philosophis obiicit, qui cum per causarum resolutionem ad vnum Deum peruenirent, ab eo tamen retrò delapsi, creaturas, & primæ causæ instrumenta pro Deo adorabant; tanto grauius in eo, quàm vulgus indotum, peccantes, quanto facilius cernere poterant, quàm longè ab ipso vno aberrarent. Iacchus igitur idem est cum Baccho; quia vtroque nomine Sol notatur, sed illud nomen vim in eo significat, quæ omnia nata citissimè consenescent & abolentur, quæ cursu suo in circulo obliquo ad interitum videtur virgere: quod quæ sit intelligendum, ab Aristotele petatis. Nos vocem sic interpretamur, vt aliud non sit Græcis Iacchos, quàm nobis *Jaggot* id est, Deus venationis, siue Deus venans, persequens, & omnia fugans: quod quoniam Soli hiberno maximè conuenit, vitalem calorem animalibus & stirpibus auferenti, Mithræ quoque nomine veteres notarunt, quod fit à *Muthra* / per metathesim Syriæ familiarem, in qua pro Aleph Alpha, pro Dalet Delta, pro Cedem Cadma, & similia pro similibus dicuntur. Est ergo Muthra siue Mythra, quod idem est, pro *Muthra* / quo comæ abscondio & occultatio signatur: qua de causa pro tégmine capillorum ponitur; qui quoniam mulieres maximè decent, mythra frequentius pro mulierum ponitur ornamento. Hinc Vortomnus dum fingitur ab Ouidio Pomonæ amore accensus, se in anum mutasse, quo ad nympham haberet accessum, mythram dicitur sumpsisse.

*Ille etiam pieta redimitus tempora mythra,
Innitens baculo, positus per tempora canis,
A simulauit anum.*

Dciani-

Deianira item Herculi obiicit:

Aufus es hirsutos mitra redimire capillos.

Verum vitis etiam in usu fuerunt, maxime apud barbaros, quorum exempla, quae plurima sunt, vobis aequae atque mihi nota. Hic sufficit vocis originem, & veram vobis ostendisse scripturam. Bacchus igitur ut Iacchus est venatui indulgens, mitra decoratur, atque adeo ab ipso capillorum ornatu nomen sumit; propterea quod dum sese a caputem nostrorum verticibus longe subducit, non terrae modo comas deprimat, sed suas etiam frequenter nubibus occultet. Hoc habitu mitram Romae in subterranea crypta omne genus animantium persequente vidi, pictura adhuc tot saeculorum firmitudinem delecta, immo egregie adhuc plurima ex parte colores suos & figuras tuente. Verum fabula de Iaccho & Mithra, auctorumque de iis vel consensus vel controuersia aliam a nobis copiosius explicabitur, nisi ante nos quoque venator hic occidat. & possunt alioquin ex his pauculis omnia quae de iis finguntur, enucleari. Propertius certe doctus hic de Iaccho locutus est, quam fortasse quisquam haecenus animaduertit. Phaebo cithara & pleetra dantur; propterea quod Solis adscensu, & descensu, & radorum eius cum ceteris astris consonantia, totius naturae mundanae concentus temperetur. Phaebi tamen nomen non a concentu, sed ab alimentorum ope, qua omnibus viuentibus succurrit, datum est; compositione facta a *Phai*, id est alo; & *Boet*, quo naturale significatur adiumentum. Quoniam vero Graeci V consonante carent, litteram suam sono proximam substituerunt, pro *Boitboet* *Φοιβος* dicentes. Non mirum igitur, Phaebum armenta pascisse, quae numquam pascere desinet, dum vlla animalium vita durabit. Lenius est illud, Fur non a furuo, sed a *φωρ* Graecorum voce mansisse: verum illud non indignum annoratu, *φωρ* non a *φείρο*, sed a nostrati vocabulo *stroph* siue *stros* venisse, ordine praepostero, qui frequens est in linguarum confusione. Eodem modo e nostrati nomine *stom*, Graeci fecerunt *μορφή*. *stom* enim Cimbricum est, per apocopen a *stom*-maet factum, quo exemplar significatur, quasi *stom*-maet, id est, praecedens mensura, ad quam aliud deinde fieri oporteat. Sed pergat Propertius:

*Cassibus impositis venor; sed arundine sumpta,
Faunus plumoso sum Deus aucupio.*

Quis cassium vsus, omnes norunt qui aues visco fallunt, arundinibus plurima foramina habentibus, quibus virgula visco illata imponantur, uti consueuerunt: quod in turdis magno numero capiendis aliquando in Fregellanis ruderibus sum expertus; ad quam capturam altae arbores deliguntur, quibus plurimae arundines loco ramorum, qui maxima ex parte sunt decisi, adfiguntur; ad quas fistula ex alto illecti illabuntur, & cum virgulis, quibus visco conglutinantur, in terram cadunt. Faunus autem aucupio praesidet, quia in siluis aues pleraeque nidulantur. estque hoc nomen sortitus, quoniam siluarum & saltuum praesit utilitati. Nam *faun* nomen siluae signat utilitatem; e qua compositione Faunus fit, duplici digamma in F digamma Aelicum mutata, uti & in aliis, & in Fama fieri modo dictum. Quamobrem siue Faunum dixeris, siue Siluanum eundem Deum nominaris, quem non mirum est Latinos inter maiores suos computasse: Quandoquidem principio omnia ipsorum loca siluarum plena essent; ita ut Siluani filij viderentur. Siluas autem hastis, quas Picas Cimbri vocant, & primum sibi vindicarunt, & post tenuerunt; quas a Saturno ea de causa accepisse dicuntur, quia ab illo ius datum erat, ut & vacua loca & siluosa occuparent, ac ea hastis tum contra feras, tum contra hostes munirent & tuerentur: qua de re fabula orta, Saturnum Pici, Picum Fauni, Faunum Latini patrem fuisse; quam Virgilius ad ignorantiam primorum Latini nominis natalium tegendam accommodauit, causarum tamen ob quas haec nomina facta essent, prorsus ignarus. Nolo hic latius pro eo ac res postulare videtur, euagari, fundamentum contentus indicasse.

*Est etiam aurigae species Vortomnus, & eius
Traicit alterno qui leue pondus equo.*

Quantis studiis, quamque insanis impensis aurigarum factiones Romani fouerint, exemplo de Graecorum certaminibus sumpto, nemo ignorat eorum qui historiarum non sunt penitus rudes. Desultores autem duobus equis videntes, ut ex altero in alterum desili-

*Phaebo cithara
& pleetra
quare dantur.
Phaebus unde
dicitur.
Phai.
Boet.*

*Phaebus ar-
mentorum
pascor.
Fur.
φωρ.
stroph.
stom siue
stros.
stom.
μορφή.
stom-maet.*

*Animum ca-
pitura.*

*Faunus aucu-
pio praesi-
det.
Faunus unde
dicitur.
faun.
Siluanus idem
qui Faunus.*

*Picini. hasta.
Picke.*

*Saturnus
Pici pater.
Picus Fauni
pater.
Faunus La-
tini pater.*

*Aurigarum
factiones.
Desultores.*

desilirent, non Romani solum tum in spectaculis, tum in bellis, sed Scythae etiam ha- buerunt, quos Amphippos Graeci nominarunt.

*Suppetat, hoc piscis calamo praedabor, & ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Scirpiculis medio puluere ferre rosam.*

Baculus pastorum pedum erat, de quo alias plura. Rosae in amphitheatris & circis & aliis locis scirpiculis circumferri venum solent. Scirpiculum vel scirpiculus primum e scirpis, ut & hodie quoque, contexebatur, unde nomen; sed hinc ad vimina transitum. Nam quid ego adiciam, de quo mihi maxima fama est, Hortorum in manibus dona probata meis? Ceruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre Me notat, & iunco brassica vineta leui. Nec flos vllus hiat pratis, quin ille decenter Impositus fronti langueat ante mea.

*Baculus pa-
storii, pedum.
Rosa circum-
ferri venum
solent.
Scirpiculum vel
Scirpiculus.*

De pomis plurima dixi; quoniam & Automnus, & praesens hic arborum aspectus, & vos in primis ita videbamini postulare: quod si tantundem cucumeri, cucurbitae, peponi, melopeponi, brassicae, floribus, & horum singulis generibus, temporis admetirer, non die vno, sed integro Automno opus esset: quamobrem his ad proximum Ver proximamque aestatem dilatis, Vortomnum absoluamus; cui poeta noster, uti ante dixi, falsam nominis causam adferibit:

*At mihi, quod formas vnus vertebat in omnes,
Nomen ab euentu patria lingua dedit.*

Quae rogo patria lingua? An ne Thuscica? At in illa vorto non est in usu, pro eo pro quo apud Latinos. Sed de hoc satis, ad reliqua:

*At tu Roma meis tribuisti praemia Thuscis,
Vnde hodie vicus nomina Thuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati,
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fuga.
Sed facias Diuum sator, ut Romana per eum
Transcat ante meos turba togata pedes.*

Thuscus vicus quamuis omnium confessione a Thuscis nomen acceperit, parum tamen inter auctores constat, a quibus nam, & quo tempore primum coeperit habitari. Titus Linius, Arunti Porfenae filio ab Aricinis & Cumanis caeso, reliquias Hetrusci exercitus Romam venisse, auctor est, & ibi cum humaniter ceteros exceptos, tum faucios benignè fuisse curatos. Hinc alios in patriam rediisse, alios Romanorum beneficiis captos in vrbe mansisse, atque inde vicum nominatum. Festus Pompeius Thuscum vicum dictum putat, quod recedente ab obsidione Porfena, hic locus datus sit Thuscis, quibus placuit Romae habitare. Noster vero poeta longe altius rationem repetit ab ipso Lucumone, qui Romulo contra Sabinos suppetias dicitur tulisse, cui has Romani gratias retulerunt, ut medium vrbis locum inter Palatinum & Tarpeiam rupem Thuscis dederint ad habitandum. Quamobrem in vulgatis, quae vidi, exemplaribus pessimè legitur Lycomedius pro Lucumonius. Dionysius etiam Halicarnassaeus, Lucumonem virum strennum Romulo validum auxilium ex Hetruria adduxisse, testatur. Quid quod Propertius quoque in Elegia proximè praecedente hunc Lucumonem primum fuisse dicit, qui Romae praetorium fecerit? Prima, inquit, galeritus posuit Praetoria Lycmon. Quod si verum, cui dubium esse potest, quin magna Hetruscorum manus vna cum Lucumone Romae sedem sibi fixerit, & vicum de gentis suae nomine multo antè nuncuparit, quam Porfena urbem obsidione vel cingeret vel liberaret? Mihi longè alia est suspicio; iam nimirum a principio Romae quidem Cimbros, ac deinde Albanos, & alios aliunde profectos habitasse, ac his leges & sacra a Iano vel eius posteris data fuisse: nec longè inde absum, ut suspicer quemquam deligi solere, qui legitima potestate populum ad ritum Hetruriae gubernaret, cui nomen a praefectura Romulo dare-

*Thuscus vi-
cus.*

Lucumon.

Lycmon.

*Romulus vn-
de dicitur.*

Rom.
Vul.

tu; quæ appellatio communis esset omnibus iis qui hoc summo magistratu fungerentur: cum non aliud *Rom-hul* / unde Romulus, significet, quam eum, qui ad Romam custodiendam solenni populi suffragio esset electus. Cum igitur multi fuerint Romuli, ut multi Pharaones, & alius aliis parentibus & gente ortus; tandem huius rei ignari, totius urbis originem ad vnum Romulum transtulerunt: & quia ex ritibus priscis satis liquebat, omnia totius magistratus insignia à Thuscis esse petita, & Lucumonem primum fuisse, qui prætorium constituerit Romanum; ventum est ad eam coniecturam, Romulum vnum quempiam fuisse, de quo, ut ignotorum natalium homine, plurimæ fabulæ fictæ fuerunt; & inter cetera ei Lucumonem auxilium tulisse, quod nomen quia proprium vnus hominis non fuit, sed præcipui apud Thuscos magistratus, cogor ferè in eam discedere sententiam, ut credam, Romulos plerumque ex Lucumonibus Hetruscorum legi solere, atque ita tandem vnum ex Lucumonibus Romulum iam factum, regiam sibi dignitatem arrogasse, atque idcirco indignationem Hetruscorum incurrisse. Quod nisi ita esset, quid opus fuisset rapere Sabinas, cum ab Hetruscis æquæ connubia, atque auxilia, & leges, & sacra potuissent impetrare? Opinor itaque eum, quisquis hic Romulus siue Lucumon fuerit, societatem sibi & fœdera cum Sabinis sanxisse, atque uxores inde non vi, sed amore rapuisse, & vnà cum ipsorum rege potestatem omnem imperij Romani communicasse. Posteritas autem harum rerum ignari, sola nominum memoria relicta, varias est commenta fabulas; & in his raptus, & bella, ut Helenæ raptum, & Troianum bellum imitati maiores ipsorum viderentur. Neque enim verisimile est, aliunde primam fuisse Reip. formam, & aliunde primos magistratus: sed hoc probabile, per ipsos Lucumones ad clauum ciuitatis vocatos, leges & ritus patrios inductos fuisse. Demus sanè, alium fuisse Romulum, alium Lucumonem; & hunc quidem Hetruscum, illum Romanorum regem: quæ conuenit, ut hoc concessio, Lucumon, non Romulus, primus posuerit prætorium; quasi alterius esset prætorium, alterius summus magistratus. Sed nolo in re prolixus ignota, nec vllis claris argumentis aut in hanc aut illam partem terminanda, prolixus esse: hoc certò constat, fabularum, quam historia, quæ de Romulo feruntur, esse similia. Mithridates certè rerum Romanarum, quibus inhiabat, æquo curiosior, non citra causam videtur Romanos seruos siue vernas Hetruscorum vocasse, ut Trogus Pompeius in obliqua eius oratione memoriæ prodidit. Profectò Iani honores, Thusca magistratum insignia, antiquissimum Lucumonem in vrbe prætorium, videntur confirmare, eos clientes saltem Hetruscorum fuisse tantisper, dum quisquam Lucumon Romulus electus, prisco patrocinio contempto, sibi omnem sumeret potestatem, adscito in partem regni rege Sabinorum. Iam & Thuscus vicus, loco urbis commodissimo & in ipso corde constitutus, quid aliud arguere videtur, quam penes eos præcipuam olim fuisse potestatem?

Pallantium.

Quo autem loco fuerit prætorium, non est ambigendum, si Palatini collis priscum nomen examinetur, quod antiquariæ cognitionis inter Romanos scriptores princeps expressit, dum dixit, *nobile Pallantium*. Est enim hoc de vetusto Cimmericorum sermone sic compositum, ut regionis conseruationem signet. Qua verò in re cuiuspiam vel ciuitatis vel regionis salus consistit? An non in Principe & Senatu ex æquo & bono totius Reip. negotia prudenti & matura consultatione gubernante? Quamobrem locus is in quo hoc consilium Principis haberi solet, meritò dicetur non Prætorium tantum, sed etiam Pallantium, id est, regionis conseruatio; qua in voce elementum medium in principio in tenue transit, ad homonymiam euitandam. *Palant* idem est quod conseruo regionem, è quo per Syncopen fieret *Palant* / quo quia pila regionis significari videretur; mutata media in tenuem, dixerunt *Pallant* pro conseruatione regionis. Hinc Itali prioris sermonis ignari Palatium fecerunt. Et est sanè eadem ratio, ob quam Minerua, omnium ciuitatum & regionum seruatricis, Pallas vocetur; perinde atque *Pallans* diceretur: tamen Græcis placuerit ea declinationis forma, quæ ad hanc etymologiam minus accedit, quam dum eadem vox pro viro vsurpatur. Næuo tamen nescio unde suboleuerit, mediam litteram principium facere debere, si ad originem vox sit accommodanda: ex quo Grammatici in eam perducti sunt opinionem, ut à balatu balantium dici putarent, & inde balatium antiquis fuisse vsurpatum. Quod si apud priscos quisquam fuit Euandri filius celebratus, nomine Pallas, is certè Ianus fuerit,

Palatium.
Pallas.

fuerit, verus regionis conseruator, quippe primus sacrorum & legum & omnium artium in his terris conditor & architectus. Videmus ne hic, de priscorum sententia, in solis prudentum hominum consiliis totam Reip. salutem sitam esse; & idcirco Palladem vrbi conseruationi præsidere? Verum quia frustra hominum consiliis vrbes nituntur, nisi ea diuinitus inspirentur, & Dei nutu dirigantur: bene finxerunt antiqui, Palladium Diopetes esse, id est, à Ioue decidisse: quo Princeps & consiliarij perpetuò monerentur, Deum semper orandum esse, ut salutaria consilia suggereret, & quæ suggestisset, ad regionis dirigeret conseruationem. Non malè igitur Prætoria & Principum aula Palatia dicuntur, quoniam in illis totius Reipub. salus versetur. Quamobrem mihi persuadeo, primum prætorium in Palatino positum fuisse, & id quidem à Lucumone siue Romulo, quocumque tandem proprio nomine is fuerit appellatus.

Quemadmodum autem hie collis à Principis domo & Senatorum collegio nomen accepit; ita rupes è regione sita, dicta est Tarpeia, à loci firmitate. Nam *Tarpeia* ^{Tarpeia ru-} ^{per.} idem est quod audeo exspectare, quemuis videlicet hostium impetum, propterea quòd ^{Tarpeia} ^{ru-} ^{per.} ceteris desperatis, ad eam refugium esset supremum; uti res ipsa comprobauit, Vrbe à Gallis occupata. Nugantur enim, qui de alia nominis ratione, nescio quæ somnia venum protrudunt, semper ab homine quopiam loco nomen comminiscentes. Nec minus errant, qui Auentinum vel ab auiibus, vel à rege nominatum tradunt; cum de Virgilij carmine luculenta se ratio prodatur, hunc montem à cædua silua nomen habuisse. Siluam enim per aduersi Tiberis ripas in hunc vsque montem pertinuisse, aperte versibus iis quibus Æneam ad Euandrum nauigantem descripsit, ostendit:

*Labitur vnctis vadis abies, mirantur & vnda,
Miratur nemus insuetum fulgentia longè
Scuta virum fluuio pictasq. innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur
Arboribus, viridèsq. secant placido aequore siluas.*

Et mox:

*Vt celsas videre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, & tacitis incumbere remis,
Terrentur.*

An quisquã clarius demonstrare posset, magnam siluam ad ipsum Auentinum vsq. antiquitus pertigisse? Quid autem est aliud *Palant*, quam finis siluæ cædua, siue finis eius loci è quo ligna cædi solent? Nec illud tantum, sed suburbanum etiam nobis locum indicat, per quem ad ligna cædenda iter esset: ita ut nihil significantius dici possit ad montis huius situm determinandum, qui & maximæ siluæ esset terminus, & vnà finis ipsius urbis, per quem lignatum ciues ire consueverunt. Lucus verò, in quo Euandrum Herculi ad aram Maximam sacra fecisse poeta fingit, inter Auentinum & urbem erat, uti de aræ Maximæ situ quibus colligat: Post mons hic lucos etiam accepit numinum diuersorum, & tandè vrbi est inclusus, & ætate nostra muro firmissimo à Paulo tertio muniri ceptus. Vocabatur & Murcius, à *Mur* / quo paludosus locus significatur; propterea quòd è paludibus, stagnis, & pigro cæno assurgeret: à qua voce Murceam quoque Deam enatam credo, pro eo numine quod paludibus præsideret: nec magni facio, quòd Pomponius desidia deam fecerit; quia Murcidus desidiosus sit & inactuosus. Nam Murcidus & Murcea ab eadem voce Cimbrica *Mur* deriuantur, quæ contraria est ipsi *Rom* / quo facultatem magnam ad agendum notari, antè dixi. Sed ad propositum. Cum igitur Thusci loco urbis commodissimo, & in ipso quasi medullis habitarent; non possum mihi facile persuadere, penes alios olim præcipuos fuisse magistratus: Videte porrò quàm nihil de hac re apud Romanos scriptores certi habeatur; cum Varro diligentissimus antiquitatum perscrutator longè aliam vici Thusci rationem adferat. Hic enim de Cælio monte scribens, In Suburbana, inquit, regionis parte princeps est Cælius mons, à Cæle vel Cælio, ut alij legunt, Vibenna Thusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. Hi post Cælij obitum, quòd nimis munita loca tenerent, neque sine suspitione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus vicus Thuscus, & ideo ibi Vortomnum stare, quòd is

K k 2 Deus

Deus Hetruriae. Hæc ille, apud quem Lucumon, qui Romulo auxilium tulit, nomen propriam inuenit Cœlis Vibenni, vt est apud Festum & Cornelium Tacitum; è quibus Varronis locus corrigendus, & hoc non prætereundum, signum Vortomni in vico Thufco stetit, cuius vicus Iugarius vnam tenuerit partem, qua de re ceteroqui dubitari potuisset. Verum quò perspicatur clarius, nihil prorsus certi de vici Thufci origine tradi; recitabo quæ Tacitus hac de re scripsit. Is de incendio Cœli montis agens, hæc adiecit: Haud fuerit absurdum tradere montem eum antiquitus Querquetulanum cognomen fuisse, quòd talis siluæ frequens fecundusq. erat: mox Cœlium appellatum à Cœle Vibenna, qui dux gentis Hetruscæ cum auxilium appellatum ductauisset, sedem eam acceperat à Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit, nam scriptores in eo dissentiunt. Cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitauisse, vnde Thufcum vicum è vocabulo aduenarum dictum. Hæc Tacitus. è quibus, quàm nihil certi hac in re constiterit, apertum. Ego non solum de his quæ dixi, hunc locum à Thufcis delectum fuisse credo; sed ob id etiam, quòd hominibus mari assuetis placeret ad Velabrum habitare, quòd facilius è Tiberi merces suas & euheret & importaret. Ex Varrone hoc adiumentum nobis accedit, quòd non ante Vortoni signum hic stetit dicat, quàm Thufci hunc locum tenerent. At hic dicit se vidisse pugnam inter Sabinos & Romanos. Quocirca tunc steterit necesse est, quàmuis Annius fingat eum in signo militari hanc pugnam vidisse. Mihi omnia versanti, & fortunam populi Romani à Iano vsq. repetenti, videtur idem Vortomni signum ex Hetruria tulisse, & vrbis æternitatem hac prosperi successus translatione confirmasse, atq. idcirco & Tiberis, & Romæ, & aræ Maximæ nuncupationem ab eodem factam, à quo tessera felicitatis in vico Thufco collocata; & id quidem eo tempore quo purus adhuc Cimbrorum sermo floreret. Siue igitur Ianus, quod arbitrari malim, siue Gomer, siue Alcanius, siue alius quisquam posterorum Vortomnum posuerit; illud saltem mihi persuadeo, longè ante Thufcum vicum nomen accepisse, quàm Romani scriptores opinentur. Quòd porrò dicunt Cœlium à Cœle vocatum, ne id quidem mihi persuadent, cum nemo nostratum nesciat, quid Cœlis Cimbris signet. Mons hic longissimè à Tiberi, à vico Thufco, & à campo Martio, in quibus maior estus erat, ad loca superiora & Thufculanos montes recedebat, & præterea altis quercubus erat inumbratus, quibus rebus efficiebatur, vt ætate ad auram frigidam & vmbra captandam commodissimus haberetur, & idcirco diceretur Cœlis, id est, moderato frigore blandiens. Nā ad æstuos calores nulla gratior, nulla salubrior vmbra, quàm quercetorum, quibus natia quædam vis inest, spiritus calore diffusos & resolutos gratissima quadam adstrictione, quàm folia latè spirant, roborandi. Experiatur, qui volet, cōfractæ quernæ frondis in feruenti æstu odorem: sentiet nimirum robur quoddam spiritibus accedere mirandum, & maius longè, quàm quisquam facile opinaretur, nisi periculum fecisset. Quamobrè Querquetulanus mons merito Cœlius nominatus est, per diphthongum secunda & quarta vocalibus coeuntem: quòd addo, vt in Tacito scriptura emendetur quæ in Varrone & Festo integra permansit. Sed nimirum diu in rebus incertis hæremus. Hoc videamus quid Lucumonis nomen apud Thufcos denotat. Id Propertius indicauit, dum media syllaba relicta, eundem Lycmonem, siue Lucmonem, quòd idem est, dixit. Luc enim felicitatem notat diuinitus datam. Non dicitur pro Maen, dialecti quadam diuersitate, vt in Vadimon paullo ante dictum, non aliter atq. Allemani. Non pro Maen, dū Lunam nominant, efferunt. Luc-mon igitur est, qui illa monet quæ felicitia fortunataq. sint. Supremos enim magistratus eo nomine voluerunt nuncupare, quo notaretur, non satis esse, omnem humanam sapientiam ad Rempublicam domi forisque bene administrandam, nisi ea, quæ monerentur facienda, Deus etiam prosperaret; quòd vocula Luc indicabit. Iam magistratus suos non Imperatores, sed monitores esse volebant, propterea quòd rationibus, quæ monenti sunt, duci; non violentis iussis impelli cogique vellent. Quòd si mihi vis huius nominis, quàm latè ad rerum publicarum vtilitatem se porrigit, esset explicanda, demonstrandumque quàm innumeris modis contra eam passim peccetur; Carmanis facillimè sermonem meum probarè, eo quòd apud illos hætenus nõ Principis alicuius, sed totius populi res in publicis consiliis agatur. Viuunt enim vt cœnobitæ, omnia habentes communia; apud quos nulla stirpis aut sanguinis habita ratione, illi soli, qui idonei sunt, vt Reip. vel consilio, vel armis, pro patriæ salute seruiant, nobiles habentur: cui communi vtilitati dum se ineptos reddunt, malè

Querquetu-
lanus mons.

Cœlius mons.

Cœlis.
Quercetorum
vmbra salu-
berrima.

Lucumon.

Luc.
Mon.
Maen.

Carmanis.

malè officiis, quibus præfunt, fungendo, statim magistratu, & omni dignitate & honore priuati, ad mechanicam plebem descendunt, minoris, quàm ceteri qui numquam in officio publico fuerunt, æstimandi. Hi Principem sibi legunt eum, què multis experimentis didicerint aptissimum esse ad Reip. clauum bene rectèque tenendum, nulla habita parentum ratione, eumque non in ciuilibus modò rebus, sed in sacris etiam summum constituunt magistratum: ne si duo summa sint capita, controuersia & contentiones de iurisdictionis limitibus oriantur. Apud hos igitur, apud quos omnes è communi viuunt, atque omnes accipiunt tum vestes, tum alimenta, tum honores, pro eo ac merentur, summam necesse est esse tranquillitatem, nullis litibus aut controuersis impeditam. Coram illis igitur de prisca Hetruscorum Lucumonibus luberet differere, atque ipsis, quid hoc nomine significetur, interpretari, apud nos interim Deus orandus, vt nobis Lucumones dare dignetur, qui ea rectis iustisque rationibus publicè priuatimque agenda moneant, quæ populo sint fortunatissima futura. Duodecim Lucumones Thufci habuerunt, duodecim diuersis populis præfidentes; qui numerus præter alias dignitates, quibus eminet, hoc etiam peculiare apud Cimbrorum habet, vt vltimus sit eorum qui citra numerorum compositionem enuntiantur. Sicut enim ceteræ gentes vndecim ex vno & decem componunt, ita nostrates ante decimum tertium nullos numeros geminare sua lingua possunt, nisi turpissimè barbariscent. Deinde nomen ei dederunt à gemina vita, quo nihil potest esse in populo gubernando auspiciatius; eo quòd Lucumonum sit siue Principum, vt curam gerant non solum ea monendi docendi que, quæ ad præsentis vitæ commoditates spectant, sed illa etiam, quæ futuræ siue secundæ vitæ nobis comparant felicitatem. Et hæc quidem de Lucumonibus, quos nulla Resp. veros habere potest, nisi habeat Volturni & Veruloniæ. De Sabinis item satis dictum: nec bellum Romuli & Tatij amplius mouebo, in quo mihi plus fabularum, quàm veritatis videtur latere. Verum statua nostræ hieroglyphicæ, quo sermonem suum concludit, opinionem meam de eius antiquitate, deque prisca Thufcorum in ciuitate principatu, videtur confirmare; quo optat populo Romano perennitatem, quam Tiberis etiam nomine suo precari videtur. Verum eam non erat, nisi per duodecim vultures, duplicem vitam ratione numeri denotantes, consecuturus; vt secuta secula reapse docuerunt.

Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,
Non moror: hæc spatia vltima meta meis.
Stipes acernus eram, properante falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in vrbe Deus.
At tibi Mamuri forma celator athena:
Tellus artifices ne terat Osca manus.
Qui me tam dociles potuisti fundere in vsus,
Vnum opus est, operi non datur vnus honos.

Quanta vadimoniorum religio, paullo antè demonstrauit. Vortomnus prius ex acere factum fuisse signum suum dicit, quàm Numa, Mamuri artificis insignis opera vsus, ex ære fundendum curasset. Numa quo tempore vixerit, incertum; si Plutarchi doctissimi Græcorum diligentia standum. Id saltem inter omnes conuenit, Sabinum hunc fuisse, & post Romulum, siue is, vt Romani putant, vnus fuerit, siue, vt ego suspicor, plures cognomine dignitatis ita vocati, ad regnum accersitum fuisse. Neque dubitatur, quin is homo fuerit non magno modò ingenio, sed summa etiam omnis sapientia tum ciuili tum sacra cognitione præstantissimus. Vnde Græci, qui omnis sibi philosophia possessionem ex antiquo arrogant, Pythagoram ei præceptorem dederunt, reclamante tamen temporum supputatione. Nos quempiam fuisse Hetruscæ disciplina magistrum arbitramur, longè omnibus Græcis excellentiorem. Si enim Dionysio Halicarnasæo credimus, infinito Græci in Deorum cultu fuerunt infaniores; eo quòd omnes fabularum turpitudines de diis suis & crederent & docerent: quòd tantum abest vt Numa fecerit, vt ne corruptissimo quidem post seculo hac in re Romani Græcorum vesaniam imitarentur, nedum æquarent. Eius igitur præceptoris instinctu Nympham finxit Egeriam nomine, sibi familiarem, quo facilius, quæ vellet, vulgo hominum persuaderet.

Kk 3 Mihi

Lucumones
duodecim apud
Thufcos.

¶ vult.
Duodecimi
numeri apud
Cimbrorum sym-
bolica signifi-
catio.

Numa, Sabinus post Romulum ad regnum accersitus &c.

Egeria Nympha.

Mihi sanè Egeriam in pectore gessisse perpetuò videtur, id est, eam voluntatem, vt nihil aliud cu peret, quàm ipsum legitimum in omnibus & sacris & profanis imperare; quod Cimbris vox Eger priore syllaba longa ad vnguem designat; qua de caussa Latini per diphthongum scripserunt, aliam ab ea facientes, quæ ab egerendo partu Egeria vocabatur. De fonte qui huius Nymphæ creditus est, aliquoties bibi, & ex riuulis eius Cardamine esitavi, cum suburbana vrbs loca curiosè lustrarem: quod addo, ne miremini, si veram nominis rationem vobis ex ipso fonte depromam; quam si ipsa dea Germano homini eiusmodi rerum siticuloso benignè propinavit, nihil admodum à veteri docendi consuetudine discessit. Profectò si quisquam est mortalium post Numam, qui huius numen in præcordiis suis vniquam sensit, ego me socium ipsi præbere possum, non minoribus fortassis ipsius flammis calentem; quo in amore non iniquè ferrem, si omnes homines mihi contenderent esse quàm feruentissimi riuales, præsertim hac tempestate, quæ si quis credat plures esse iuris & legitimi professores, quàm Egeriæ procos, non multum fortassis aberrarit. Sed meliora Deus; quem oro, vt Egeriam ad omnes eos mittat, apud quos eam quam plurimum posse, votis omnibus optandum. De Mamurio tertius Fastorum Ouidij liber consulendus, quo canitur Numæ ancilia ita affabre fecisse, vt ab illo quod cælo delapsum erat, non dignosceretur; & ea gratia, nomen eius in Saliorum carminibus celebrari. Huius ergo opus fuit & hic noster Vortomnus, sic factus, vt aptus esset ad cuiusvis ornatum cum decore accipiendum, quo Dei symbolum gereret, omnium hominum studia & labores citra personarum discrimen prosperrantis: quem vt nobis etiam perpetuò felicem vitæ successum adspiret, semper feruidis precibus oremus; nec vllò tempore tam sumus occupati, vt eius cogitationem mentibus excludamus; subeatque deinde perpetuò in animum, quorsum hanc tesseram siue hieroglyphicum signum in frequentissimo vrbs loco vel Ianus, vel eius nepotes collocarint: quod si pro eo, atque illi faciendum censuerunt; fecerimus; nihil vniquam malè nobis succedet, atque adedè ne ipsa quidem mors, terror omnium omnibus vitam sortitis horrendissimus.

Mamurius
calator.

F I N I S .

Ioh. Goropij, piæ memoriæ, Hispanica, Francica, Gallica, Vertumnus, Hermathena, & Hieroglyphica, eiusdem sunt eruditionis cum iis operibus quæ viuis edidit. Nec quicquam in his libris à me, aut ab aliis est animaduersum quod fidem aut morum integritatem ladat. 21. Sextilis, 74.

Ioh. Molanus, Apostolicus
& Regius censor.